HORTI MALABARICI

PARS PRIMA,

DE VARII GENERIS

ARBORIBUS

ET

FRUTICIBUS SILIQUOSIS

Latinis, Malabaricis, Arabicis, Brachmanum characteribus nominibusque expressis,

Adjecta Florum, Fructuum, Seminumque nativæ magnitudinis vera delineatione, colorum viriumque accurata descriptione,

ADORNATA

Per Nobilissimum ac Generosissimum D. D.

HENRICUM VAN RHEDE TOT DRAAKESTEIN,

Toparcham in Mydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernatorem supremi Consessus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, nunc vero Equestris Ordinis nomine Illustribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adscriptum,

ET

THEODORUM JANSON. AB ALMELOVEEN, M. D.

Notis adauxit, & Commentariis illustravit

JOANNES COMMELINUS.



AMSTELÆDAMI.

Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM,
Anno cIↃ IↃc LXXXVI.

ILLUSTRISSIMO ET NOBILISSIMO

DOMINO,

D^O. JOANNI MAATSUIKER,

GUBERNATORI INDIÆ ORIENTALIS,

Quæ ſub ditione eſt Belgii Fœderati, Dominorumque Nobiliſſimorum Ordinis Societatis Indicæ Generaliſſimo.

Ircumſpicientibus nobis quibus potiſſimum hos labores noſtros in concinnando Horto Malabarico *impenſos inſcriberemus ac offerremus, nemo propiùs, nemo opportuniùs, quam Tu occurris. Illuſtriſſime & Nobiliſſime Domine, cui illud præſtandum erat, non ut Te patronum hujus operis deligamus, verùm ob eas cauſas, tum quod Tu horum locorum Malabaricorum, in quibus Hortus noſter eſt productus, ac concinnatus, regimen ac adminiſtrationem ſumma cum dexteritatis laude teneas, tum quod rerum novarum & rararum in hiſce terris amantiſſimus ſis, tum denique quod nos in hiſce locis tanquam in proprio horto caſulam aliquam poſſidemus, nobiſque oculos noſtros animum.*

mumque in amœnissimis plantis, quas ubertim proferunt, depascere detur. Tibi igitur, Vir Illustrissime & Nobilissime, & omni laude dignissime, hoc quidquid est operis, quod à Nobis profectum est, offerimus, nulli dubitantes quin patieris hosce labores nostros amplissimo Nomini Tuo inscribi, eosque serena fronte suscipies, quodque eos non minus æstimabis ob hoc quod ab iis profecti sint, quorum negotia & studia ante à plantarum indagatione longè diversa ac remota fuêre.

Amplissimo Nomini Tuo

Addictissimi

H. v. RHEEDE, van Draakensteyn.

JOANNES CASEARIUS,
Eccles. in Cochin.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



Abes hîc, amice Lector, descriptionem *Plantarum* quas hæc terra *Malabarica* profert, quæ ferme omnes suas vires medicas ostentant; operis si quæ est laus, eam non sine jure meretur Nobilis Dominus HENRICUS van RHEEDE, horum locorum Malabaricorum quos præpotentes Ordines Societatis Indicæ in sua possessione habent, præfectus, vir in re militari strenuus & gubernationis politicæ summè gnarus, utpote qui hoc opus primùm promovit & direxit, omnemque opem quò efficeretur, attulit; etenim hic Nobilis Dominus, ut de eo reipsa satis cognovi, ubi secum perpenderat quantum in eo emolumenti situm esset, si plana & exacta descriptio harum plantarum hujus terræ haberetur, quodque non tantùm illud curiosis & plantarum novarum amantissimis mirè placeret, sed quod in Medicina tum maximè quæ in hoc cœlo ac solo usui est, summè prodesset atque adeò rebus Ordinum præpotentium Societatis Indicæ conduceret, flagrantissimo desiderio semper incensus fuit, ut eam descriptionem plantarum nancisceretur, idque adeò ut ipse manum operi libentissimè admovisset, ac descriptionem ipsam in se suscepisset, si non rebus militaribus ac politicis nimium fuisset implicitus ac distractus; verùm cùm ipsi ad hoc opus nullum restaret tempus, in expeditione sui propositi diu fuit retentus, donec interveniente aliquo tempore resciverat, Patrem esse MATTHÆUM Ordinis S. *Josephi* Carmelitam discalceatum Neapolitanum, in hisce terris, qui insigni in plantis scientia & earum rerum longa experientia excelleret, qui eum in suo proposito posset adjuvare; cùm igitur occasio se obtulisset eum invitandi ejusque opera inspiciendi, voti sui factus est compos. Is enim vir Ecclesiasticus vitæ integræ & probæ, laudabili ac recto intento hujus Nobilis Domini & præcipue ob respectum ejus virtutum æstimationem, quam de eo susceperat, adeò commotus fuit ut animo propenso omnia sua ipsi offerret, id quod in causa fuit ut Nobilis Dominus suum desiderium & zelum jam diu conceptum in totum applicuerit promotioni sui laudabilis propositi, quemadmodum & ad id dignum duxit mihi id notum facere, ac facultatem dare descriptionem hujus Patris Reverendi, quam susceperat, perlustrandi, sciens satis quanto etiam ego desiderio flagrarem, ut propositum ejus in bonum ac commodum publicum perfectum viderem; Et certè hic labor, quem Pater nominatus in cognitione ac experientia plantarum hujus loci impenderat, non poterat non nobis materiam laudis dare eumque pro merito æstimandi, tum & illud quod & manu propria plantas pingebat celeritate adeo prompta, quæ vim ejus imaginationis ac vividæ memoriæ satis ostendebat; verum enim verò ipsa descriptio plantarum videbatur Nobili Domino ut & mihi majorem ac pleniorem perfectionem requirere, nam id omne quod in eâ erat magis concernebat vires plantarum medicas, forma autem earum ejusque partium leviter ac superficiariè exposita: ipsæ quoque figuræ minus erant perfectæ, quam ut formam omnem partium, præcipue Florum, Fructuum & Seminum exactè exprimerent. Equidem non est quod hæc dicta volumus in detractionem ejus honoris, quem vir pius & integer meretur, nam ut ipse satis confitebatur, descripserat plantas hujus terræ magis velut in transitu ac in suum oblectamentum & exercitium, quam quidem cum illo proposito illas edendi: Zelus itaque quem hic Nobilis Dominus in eo viro pio conspexerat,

tanto

tanto magis in eo ſuum accendebat zelum, addebatque animum circumſpiciendi num non pluribus ac melioribus mediis quàm hic pater nominatus, ſuccinctus perfectiorem de plantis hujus loci deſcriptionem poſſit proferre, ut adeò ad majus commodum quod intendebat, ſerviret, quod ipſas figuras concernebat, eas videbat perfici poſſe, quoniam ad manum eſſent peritiſſimi pictores, qui exactiſſimè & ad vivum plantas poſſent exprimere; quod ad vires medicas etiam videbat eas augeri poſſe, ſiquidem expertiſſimi Malabarici Doctores moti præcipuè ex ſummo reſpectu, quem hic Nobilis Dominus hanc inter gentem Malabaricam ejuſque Reges ac Principes obtinet, ſuam operam libentiſſimè offerrent ad omnia quæ de iis ſcirent communicanda; unica igitur adhuc reſtabat difficultas ut plantæ exactè deſcriberentur, ut in eo etiam major perfectio, quam non tantùm nos, ſed etiam ipſe Pater Reverendus neceſſariam eſſe judicabat, haberetur. Etenim quod ad me, videns rectum & laudabile Nobilis hujus Domini propoſitum & quanto ardore ac animo in eo erat, ut hoc opus perfectum videret, tum in bonum publicum, tum & præſertim ut rebus Ordinum præpotentum Indiæ ex uſu veniret, & ſimul intelligens, quantis negotiis hic Nobilis Dominus in Regimine militari & politico erat præpeditus & diſtentus, quo minus manum ad operam adhiberet, ut & quod Reverendus Pater MATTHÆUS occupationibus Eccleſiaſticis, ut & ipſe fatebatur, ſummè erat detentus, neque adeò in eo propoſito Nobilis Domini poſſit ulteriùs ſatisfacere, uti & quidem optâſſet, reperiebam me ſuſcitatum ut quantum in me erat opis, quò propoſitum Nobilis Domini effectum daretur, adferrem, quemadmodum & illi animum meum ad id obtuli, quanquam non ſine præcedente proteſtatione mearum debilium facultatum, quodque in cognitione plantarum ante non fuerim exercitatus; hac igitur ratione placuit Nobili Domino ut quantum in me erat, ego efficerem, adhibuitque eos qui plantas omnes mihi de novo afferrent, quemadmodum & Reverendus Pater MATTHÆUS ut rectum Nobilis Domini propoſitum effectum videret, etiam communi bono gaudens libentiſſimè ac propenſo animo omnia ſua in manus meas tradidit, ut ex ejus ſcriptis ea quæ de viribus medicis plantarum haberet, noſtro operi inſererem.

Quod igitur hanc deſcriptionem concernit, in ea expreſſa eſt forma & facies cujuſque plantæ, earumque præcipuarum partium, ut Radicis, Stipitis ſeu Caulis, Foliorum, Florum, Fructus, Seminum, uti & proprietates coloris, præterea poſita ſunt nomina in lingua Malab. & Bramanum cum ſingulari eorum notatione; curæ quoque nobis fuit omnes plantarum notas ſpecies, quas comparare potuimus, cum earum differentiis ſimul deſcribere, ut ita omnem confuſionem, quæ in plantis dignoſcendis inter ſpecies facillimè oboriri poteſt, præveniremus; quod ad figuras, in illis plantæ cum præcipuis ſuis partibus, ut Floribus, Fructibus, Seminibus in naturali magnitudine delineatæ & ad vivum expreſſæ ſunt, idque adeò exactè ut non dubitem quin deſcriptio noſtra ut ut omnibus ſuis numeris non ſit abſoluta, cum iis collata ſufficiens erit ad claram & diſtinctam cognitionem de hiſce plantis acquirendam; quod ad uſus medicos, illos tum ex inventis Reverendi Patris JOANNIS MATTHÆI Carmelitæ delegimus, tum ex ore Doctorum peritiſſimorum nempe RANGA BOTTO, VINAIQUE PANDITO, & APU BOTTO Bramanum, & ITTI ACHUDEM hominis ex genere *Chegum* quemadmodum ex teſtimoniis ipſorum patet; quibus additi ſunt vires quorundam oleorum à nobis extractorum; atque hac ratione primam partem Horti hujus Malabarici adornavimus.

JOANNES CASEARIUS,
Eccleſ. in Cochin.

A LIA



ALIA PRÆFATIO AD LECTOREM.




Ccipis hìc, amice Lector, hortum Malabaricum, in quo adornando Nobilis ac Generoſus Dominus HENRICUS *à* RHEEDE *omnem operam poſuit, ut &* D. JOANNES CASEARIUS, *plantarum, quas hic hortus continet, deſcriptioni accuratè efficiendæ unicè intentus; quod ad me, qui & meas in eorum operas, ut ex priore præfatione conſtat, partes habeo, gratulor mihi illos Dominos tum ex proprio zelo, tum ex mea, quam in deſcribendi plantis operam poſueram, ſuſcitatos eſſe ad deſcriptionem exactam & accuratam, cui ego perficienda ob Eccleſiaſtica mea munera non potui vacare, uti quidem illi Domini optabant concinnandam, tum & maximè quòd mea in plantis hiſce ſcripta in manus horum Dominorum venerint, qui ut opus eorum eſſet magis abſolutum, illud quod ego de viribus plantarum longa experientiâ collegeram, ad promotionem tum boni publici, tum etiam commodi Ordinis Societatis Indicæ, dignati ſunt ſuis ſcriptis inſerere, atque adeò mea opera, quæ forſan alias obſcurata, fruſtranea & imperfecta fuiſſent, palam facere, in quo fideliſſimè mecum eos egiſſe teſtor; Equidem quò magis antè ſæpiùs doluerim, me meorum amicorum præcipuè inter Hollandos Doctiſſimi D. Profeſſoris* JACOBI GOLII, *cui eo magis eram devinctus quòd Reverendus Pater, Frater* COELESTINUS à S. LUDOVINA, *Carmelita diſcalceatus Ordinis S. Eliæ Prophetæ, uti & ego, meus olim Vicarius in Monte Libano, petitionibus obnixis, quibus à me exquirebant plantarum harum cum ſuis*

viribus delineationem, non potuisse prodesse, tanto magis jam animus se recreat quod meam, quam in explorandis viribus medicis plantarum operam posueram, non perdiderim. Nihil igitur mihi magis in votis est quàm ut illi Domini in reliqua parte HORTI MALABARICI *concinnanda constanter pergant, seque non detrectent ob laborem operis ulteriori descriptioni. Datum in Civitate Cochinensi, vigesimo die Mensis Aprilis anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti.*

DDnum. Vrum.

Humillimus servus in Christo

Frater MATTHÆUS à S. JOSEPH,
Carmelita Discalceatus Congnis. Italicæ.



HOC

[illegible]

[illegible]

HOC EST.

EGo EMANUEL CARNEIRO, Chriſtianus Romanus, incola Civitatis Cochinenſis, interpres juratus N. Societatis Indicæ per mandatum D. Commendatoris HENRICI à RHEEDE ex lingua Malabarica in lingua Luſitanica explicavi & interpretatus ſum nomina, virtutes medicas, & proprietates arborum, plantarum, herbarum & convolvulorum naſcentium in hiſce terris Malabaricis, auditas à COLADDA Doctore Malabarico gentili, & Natione *Cheguo* naturali in *Carruparàm*, ac in Doctorum Malabarico-

*** 2 rum

rum libro ſcriptarum; in cujus rei fidem haſce ſcripſi & ſubſcripſi. Datum in Civitate *Cochinenſi*, vigeſimo die Aprilis anni milleſimi, ſexcenteſimi, ſeptuageſimi quinti.

MANOEL CARNEIRO.

Traductum ex lingua Luſit. per me

CHRISTIANUM HERMAN de DONEP,
Secretarium Civilem Civitatis *Cochinenſis*.



HOC

[illegible]

HOC EST.

EGo ITTI ACHUDEM Doctor Malabaricus Natione *Chego*, gentilis & naturalis in *Carrapuràm*, ſeu terra dicta *Codda Carapalli*, habitator ædium dictarum *Coladda*, qui proavis, avis & parentibus Medicis ſeu Doctoribus natus ſum, teſtor me per mandatum D. Commendatoris HENRICI à RHEEDE, veniſſe in Civitatem *Cochinenſem* & per EMANUELEM CARNEIRO Nobilis Societatis Indicæ interpretem dixiſſe & dictâſſe nomina, virtutes medicas & proprietates arborum, plantarum, herbarum & con-

convolvulorum tum ſcriptas & explicatas in libro noſtro, tum quas diuturna experientia & exercitio obſervaveram; quod verò hæc explicatio & dictatio abſque ullo dubio præterierit, nec ullus Doctorum Malabaricorum ſit qui de veritate eorum quæ dixi dubitet, feci præſentes quas propria manu mea ſcripſi & ſubſcripſi. Datum in Civit. *Cochin.* 20. Aprilis 1675.

ITTI-ACHUDEM, Doctor Malabaricus.

Traductum ex lingua Malabarica *in* Luſitanicam *per*

MANUELEM CARNEIRO,

Et ex Luſitanica *in* Latinam *per me*

CHRISTIANUM HERMAN de DONEP,
Secretarium Civilem Civitatis *Cochinenſis.*



HOC

स्वस्तिश्री शालिवाहन शाक १५९७ राक्षससवत्सर चैत्र शुद्ध १० को
चीराजपाटणी बैसिके रंगभट्ट तथा विनायकपंडित आण अपुभट्ट तेगे वैद्य
तानिं कोचिचा कुमदोर आंड्रिकि फांड्रे त्याचानि रोपानं ह्या मलबार देशा
तु आति ले ओषधमात्र वृक्षवाल्लि झाड रवंड ओळखते त्या मनुष्याकडु
सारोदेशतु ते ते गांवांतु पेठ्ठवून तिंतिं वारवद आणवून त्यांत्या झाडांचें फ स
फूल पान बीज समस्त त्यात्याउतु काळा वरिस पाहून तिंतीं चितारिली त्याउप
रांत आम्हिं आमगेल्या वैद्यग्रंथाचानि धैटाप्रमाणीं त्यांत्या ओषधाचे गुण
वाअनुभवानं जो जो गुण आमका कळेलो तो वा त्यां आरवदांची नावं पळेउनु
आजि दाति वर्षे सकाळिं साजे आम्हिं लागि वाचूनु हालिवुस पाहून दिला तेल
टिक अशिक्षणुंचा कनज अशिक्षणु आम्हि आमंचीनि साणि कर्णु दिली
ते सत्यदक्षणु मानुचेंजाइ दक्षणु नागर बनपा नद बरवूनु दिली श्रीः

रंगभट्ट | विनायकपंडित | आपु वैआप

HOC EST.

AB anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo dicto à Bramanis *Palivanapaco* (qui apud nos eſt annus 1674:) uſque ad decimum Aprilis anni dicti *Requeçao* (qui apud nos eſt Annus 1675.) Ego RANGA BOTTO, VINAIQUE PANDITO & APU BOTTO, omnes tres de Natione & Religione Bramanas & Gymnoſophiſtæ antiqui in diſtrictu *Cochinenſi* per mandatum Nobilis D. HENRICI à RHEEDE, Commendatoris terrarum Malabaricarum & Civitatis *Cochinenſis*, curavimus per ſervos noſtros qui notitiam arborum, plantarum, herbarum & convolvulorum habebant, eas ex terra Malabarica cum ſuis floribus, fructibus & ſeminibus ad Civitatem prædictam, ut delinearentur & deſcriberentur, adferri, quarum nomina ſcripta ſunt in libro noſtro vocato *Manhaningattnàm*, in quo etiam continentur virtutes & vires earum Medicinales, & præter haſce eis addidimus quod diuturna noſtra experientia & magno labore ac ſudore de iis didicimus & obſervavimus,

& ut hic liber perficeretur, laboravimus per ſpatium duorum ferme annorum, ita ut omnis & quilibet, qui eum lecturus & viſurus eſt, ei poſſit adhibere fidem quam ipſe fuiſſet daturus, ſi res in ea ſcriptas ipſemet fuiſſet expertus; juramus itaque ſecundùm conſuetudinem noſtram, quod omne in eo contentum verum ſit: in cujus rei fidem fecimus præſentes chartas quas propriis manibus noſtris ſubſcripſimus. Datum in Civitate *Cochinenſi* vigeſimo die Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi quinti.

RANGA-BOTTO, VINAIQUE PANDITO,
APU BOTTO.

Traductum ex lingua Bramanum per ſubſcriptum

VINAIQUE PANDITO

in linguam Luſitanicam, *& ex lingua* Luſitanica
in Latinam *per me*

CHRISTIANUM HERMAN de DONEP,
Secretarium Civilem Civitatis *Cochinenſis.*



A R-

ARNOLDUS SYEN


CANDIDO LECTORI BOTANOPHILO

SALUTEM.

Paucis in ipso limine monitum te volo, Amice Lector, quid in hoc opere à me sit præstitum. Cùm anno elapso, obiter illud perlustrare contingeret, mox arrisit laudabile Autorum institutum, non dispari successu ad metam perductum. Præter enim figuras splendidissimas, & tam affabre delineatas, ut vix ovum ovo magis simile esse, ex siccatis quas plerasque penes me asservo plantis, asserere ausim: accuratissimam Plantarum Anatomen, diffusa exhibet descriptio, quæ non singulas duntaxat ipsarum partes, sed & partium minutias exhibet. Huic enim operi exornando, plerique tractus Malabarici *Reges, sua contulere auxilia, & intimos remotissimosque Regni recessus, Optimatum & Medicorum suorum auspiciis perlustrare jusserunt. Videbatur tamen deesse hujus operis, cum reliquis*


***** *auto-*

autoribus qui consimiles tractârunt materias, nexus & consensus: vel ut distinctiùs loquar, notulæ quædam, quibus indicaretur, quænam plantæ jam ab aliis fuissent exhibitæ, & recepto nomine donatæ, & quænam de novo in scenam prodirent Botanicam. Hoc opus amicorum suasu, lubens arripui, simulque plantas antea non descriptas, quantum ex autorum descriptione, & Iconibus licuit, BAUHINIANIS *denominationibus insignivi. Quo fato, judicent æqui rerum æstimatores. Interim vale, & ipsum Hortum ingredere.*




Cocos nucifera L.





Tenga. lat.
Mal.
Arab.
bram.
F. 2.




Tenga. latina.

തെങ്ങ *malabarica.*

Arabica

lingua bramanie


Fig. 4
Ténga. lat.
തെങ്ങാ Mal.
Arab.
माड्ड bram.

PARS PRIMA

HORTI MALABARICI

DE

ARBORIBUS.

TENGA.

FIG. 1. 2. 3. 4.



Enga, lingua Bramanum *Madò*, eſt arbor cum ſurrecto caudice alte aſſurgens, naſciturque in arenoſis. Fig. 1.

Radix craſſa cortice ruffeſcente ac nigricante, interius ligno molliori, fibras late transverſum diffundens.

Caudex ſurrectus unum pedem craſſus, in una parte craſſitie maxima duos ferme pedes æquans, ramis foliaceis qui ex ſolo ejus vertice altius ac altius increſcente erumpunt coronatim ordine decuſſato in ſummitate circumdatus, ac in cortice ſeu cruſta nigricante, quæ deglubi nequit, ſemiannularibus circulis ac notis quibus pedes ramorum inſederunt ſtriatus; conſtatque ligno minus duro ac filamentis groſſis pertexto ac ruffo-rubeſcente, intus molliori, ad corticem duriori, cùm vetuſtior eſt multò duriori & magis nigricante, quod ſub dio expoſitum intra duos, tresvé annos corruptioni obnoxium, ſub aquis magis durabili, ejus cacumen, quod à teneris ramis circumdatur, cùm altior ac vetuſtior eſt, in conum faſtigiatur ac molli & albicante pulpa ſeu corculo dicto in lingua Luſitanica *Palmita*, quod exterius ex variis tunicis ſibi mutuò ſuperinjectis conflatur, ac intus denſum eſt, conſtat; hoc cum tenerior eſt Ténga & altitudine unius cubiti, eſt dulcis ac grati ſaporis; cùm majoris ætatis, ſaporis minus grati ac aſtringentis ac dulcedine nulla; cùm altior ac vetuſtior eſt, ſaporis dulcioris & gratiſſimi, æmulans juglandes noſtrates, eſtque in eduliis ac ab elephantibus maxime expetitum, qui ob ejus appetitum arbores haſce eradicant.

Rami foliacei ſimplices ſunt, in nullos alios diviſi, in pede quo caudicem primum arctè complectuntur interius plani, ac nonnihil concavi ac supernè interiùs in ventrem acutum extenuati, exteriùs in totum convexi, in imâ parte pedis latiores & inde ſenſim in anguſtum contracti ac in oris extenuati, & reticulato, raro, ruffo-fuſco cortice, cujus filamenta ex oris pedis utrinque prodeunt caudicem primum circumveſtientes ac ſe mutuo obtegentes; ſuntque veſtiti cortice flavo viridi ac intus filamentis lignoſis minus duris mollem inter carnem albicantem pertextis conſtantes: qui vetuſtiores ſunt à caudice magis deflectunt ac pandi ſunt, dein decidunt alter poſt alterum temporibus ordinatis, dum alii ex ſummitate caudicis de novo erumpunt.

Folia, quæ ſuperiorem partem ramorum circumveſtiunt ad partem eorum planam ubi in ventrem extenuati ſunt, utrinque in oris prodeunt obliquè ex adverſo ſita, ſuntque oblongo-anguſta longitudine plus minus ſesquicubiti, latitudine trium transverſorum digitorum ab origine ſenſim in anguſtum contracta, ſuperficie valde plana, venis parallelis ac ſubtilibus in longum ſtriata inferiùs cum ſutura albicante ſubflava quæ in angulum inflexa eſt, inſerta ſunt, ac verſus exteriorem partem ex angulo ſuturæ nonnihil clauſa, & in interiori, quæ cum interiori ſuperficie rami convenit, coſta altè eminente, quæ exteriorem partem ſulco ſtriat, in medio obſita, viroris fuſci & nitentis, cùm marceſcunt, flaveſcente, ſaporis & odoris nullius niſi ſylveſtris.

Fig. 2. Supra ex *Ramorum Foliaceorum* exortu ex *Caudice* oriuntur *Capſæ* oblongæ in quibus *Flores* & *Fructus* teneri ſimul incluſi ſunt ſurculis inſidentes; ſunt autem capſæ rotundæ & nonnihil planæ, tres quatuorve ſpithamas longæ, ad originem anguſtiores & flaviores, & in vertice in conum ſtricti medii digiti latitudine ferme in cortice craſſæ venis filamentiſque lignoſis in longum ſtriatæ, exterius virides ac ſulcis liriſque quæ ad cacumen profundiores, exaratæ, interius albicantes & glabræ.

Surculi Fructiferi dum in capſa incluſi ſunt glabri & nitentes ad originem glanduloſi, angulati & undulantibus lacunis inflexi, alii rectiùs, alii ductu parùm ſerpentino excurrentes medio ramo craſſiori coronatim circumpoſiti, & verſus cuſpidem capſæ in anguſtum contracti, denſo ordine ad ſe mutuo arcte conſiti ac rupta capſa ex medio ramo ſe transverſim in orbem expandunt, ſuntque veſtiti cortice craſſiolo, primum cum molles ac teneri & in capſa incluſi ſubflavi & flavo-albeſcentes ac dein magis flaveſcentes ac rubeſcentes, poſt virideſcentes; in hiſce *Surculis* in *Capſa Flores* & *Fructus* ex ordine proveniunt, ut *Fructus* in inferioribus partibus prodeant quam *Gemmæ Florum*.

Gem-

Gemmæ Florum ſpicæ ſunt albeſcentes parum flavæ ac dein magis & magis flaveſcentes, glabræ & nitentes, aliæ planiores, aliæ rotundiores parvis & flavo-albicantibus calycibus trifoliatis arctè exceptæ cum in capſis ſunt densè ad ſe invicem conſitæ, ubi autem extra capſam cum ſurculis erupere iis accreſcentibus rariores ac tranſverſum ſitæ vel parum anteriora verſus cum cuſpide reflexæ, aperiuntque ſe in tria folia, quæ ad unam oram rotundiora ſunt, & in vertice cuſpidata, duriola, rigida & craſſiola, habentque in medio ſex ſtamina flava, quæ oblongis, craſſiolis primum ſurrectis, dein decumbentibus apicibus dotata ſunt, ac ex unguiculis foliorum prodeunt, ac cum iis ſtylum brevem, craſſiolum & albicantem, ſuperne trifidum, ſuntque odore grato, velut lilia, licet debili: *Flores* poſtquam è *Capſis* eruperunt, confeſtim è *Surculis* decidunt.

Fructus qui cum *Floribus* in capſis oblongis ſimul proveniunt, & Fig. 4. infra *Flores Surculis* arctè inſident, cum ad maturitatem pervenerunt, prægrandes ſunt, ſuntque velut nuces conſtantes operimento lignoſo, qui interius ad ſuperficiem interiorem operimenti ſeu teſtæ medulla alba obducti ſunt, ac intus larga cavitate quæ aqua ſeu liquore repleta eſt: hi dum teneri ſunt & ex capſa cum ſpicis erumpunt, forma rotundi ſunt colore flavo-albicantes & calyce flavo-albicante, qui ex rotundis foliis mutuò circumvolutis conſtat, arctè & in totum obducti, intus ſub corticibus quibus circumteguntur carne denſa albicante, nulla cavitate dotati, poſtmodum verò cum ætate increſcentes forma oblongo-anguſta ſunt in longitudine maxime aucti, minus verò in latum, in cortice exteriùs cum nitore virideſcentes, calycis foliis ex quibus cum ſuperna parte emicant ex rufo rubeſcentibus, proditque ſe in iis primum nota parva, oblongo-anguſta, cavitatis cum majori incremento introducendæ in ima parte ſeu ad exortum fructus, antequam autem cavitas ſe offert, fructus hi teneri Malabaribus *Bellacà*, Luſitanis *Coquinhos*, cavitate autem jam introducta *Fructus* primum ſola aqua repleti ſunt ac tum dicti Malabaribus *Caricù*, Luſitanis *Caricà*; abſoluto verò cavitatis incremento poſtquam omni ſua repleti aqua ſunt medulla ad interiorem operimenti ſuperficiem obducuntur.

Quod ad cavitatem notandum, eam in teneris fructibus valde Fig. 3. oblongo-anguſtam eſſe ac cum fructibus primùm in longitudinem magis increſcere; minus verò in latum, eſſeque circumſcriptam forma ovali, cujus angulus acutior verſus ſummitatem fructus ſitus eſt, in fructibus autem vetuſtioribus ad formam ellipticam ſeu rotundam accedere: eſt autem medulla *Fructus*, quæ ad certum temporis intervallum augeſcit expetita in eduliis, primùm tenera & albicans ac ſubcœrulea, ſapore dulci ac grato, minimè verò oleoſo, dein albicans ac magis magiſque indureſcens, cùm dura ſapore nucis, ac

quo vetuſtior ſeu durior ſaporis magis oleoſi, contrita ac tuſa lacteum liquorem, qui & ſapore lactis eſt, ſed nonnihil oleoſi fundens; cùm vetuſtiſſima eſt maximè oleoſa ac ex oleo cœruleſcens, odorem fortem oleoſum, qui ingratus eſt, ſpirans; pro diverſa medullæ conſiſtentia *Fructus* variis nominibus ſunt donati, cùm ea tenera eſt & lacti ſimilis ac mollis, dicitur Malabaribus *Corumba*, cùm completa eſt & non magis augetur, *Elanì*, Luſitanis *Lánia*; cùm nonnihil dura eſt Malab. ut & Luſitanis: *Malinga*; cùm dura eſt, *Ténga*, Luſitanis *Cóquo*, cùm àdhuc durior, *Barèttu-Tenga*, ac cùm maximè dura, *Cótta-Tenga*, Luſitanis *Cóco Sicco*. Quod ad aquam, quæ eſt intra cavitatem, hæc in fructu tenero *Caricù* dicto eſt primum ſubaſtringens, ſubſalſa & ſubacida, minùs verò dulcis, dein quo fructus vetuſtior fit, magis & magis dulceſcens; in fructu vetuſto, ut *Barèttu-Tenga*, ſimul valde dulcis & ſalſa, ante medullæ proventum clara & valde limpida eſt inſtar aquæ; medulla autem proveniente turbida ſeu minus limpida & pallide albicans; ex fructu *Caricù*, qui omni ſua aqua jam repletus eſt, facto anguſto foraminulo per operculum magna vi radiatim exſilit, minus verò ex fructu, qui medulla repletus eſt, ut *Corumba* ſeu *Lania*; aqua in *Maninga* id proprium habet, quod ut liquor, dictus *Suri*, fermentatione ad oculum notabili cietur, cùm medulla dura eſt in fructu exſiccari incipit, in ollam infuſa & aëri expoſita ſaporem dulcem illico amittit & ſubacida redditur, idque ocyus ſi vento moveatur, ſine ulla tamen fermentatione, quin & aqua fructus *Maninga* hoc modo omnem ſuam fermentationem amittit. Quod ad operimentum aquam ac medullam continens, illud primum tenerum, eſtque in fructu *Corumba* adhuc molle & eſculentum ac ſapore nucis juglandis, illud calce illitum primùm flaveſcit, dein viridi-fuſco colore tingitur, quò vetuſtior fit fructus ac medulla durior etiam magis indureſcit, ac cùm maxima duritie eſt, ſectioni minus pervium, eſtque exterius tribus ſuturis eminentibus in longum ſtriatum, ac in parte inferiori inter ſuturas tribus oculis clauſis donatum, quorum unus latior & minùs durus eſt, inter ſuturas, quæ latius diſtant, ſitus, aurificibus ob ferventem flammam, quam exhibet, in uſu. Cortex exterior operimentum obducens in exteriori ſuperficie primùm eſt albicans, ut in fructibus de *Coquinhos* cùm tenerrimi ſunt, dein virideſcens, ac cum majori ætate ex viridi flaveſcens, cùm autem fructus vetuſtior eſt ac exſiccari incipit, eſtque tandem ſiccus cinereo-fuſcus, & primùm quidem mollis ac tenuis eſt, dein conſtans intus carne denſa, albicante & molli, quæ in *Lania* tenera adhuc mollis & ſectioni facile pervia eſt, ac calce illita flavo colore tingitur, poſt magis & magis indureſcens intus in carne plurimis lignoſis ac ſtupeis filamentis ad funiculos conficiendos idoneis quæ operimento

ligno-

lignoſo exterius arctè adhærent, eſt intertextus. Quod ad formam externam, hi fructus cùm tenerrimi, rotundi ſunt, cum majori ætate oblongo-rotundi ac tribus angulis obtuſis ad partes ſuturarum emicantes, cùm vetuſtiores ſunt minus oblongi, ac cùm vetuſtiſſimi ſunt, figura magis contracta quàm *Lania*; in cocos vetuſtis ad partem eorum inferiorem intra medullam duram oculus oblongo-rotundus albicans, qui poſtea flaveſcit, ſe prodit, eſtque tenerum germen fructus qui eo terræ mandato ex ſuperiori parte per oculum operimenti minus durum ſeu latius ſurculum novellum extrudit, atque ex inferna parte piram dictam Mal. .... Luſitanis *Póngo*, quæ magis & magis increſcens dum aqua interea exſiccatur, totam cavitatem adimplet; ſurculus autem novellus ex oculo prodiens extra operimentum emicans paulo reflexus corticem exteriorem perterebrat, ac ex inferiori parte emittit radiculas, quæ per corticem exteriorem primum obliquè decurrendo, tandem eo perrupto ſe terræ hinc inde affigunt: pirum quod in cavitate naſcitur albicans eſt, & in ſtrictiori parte, quâ ex oculo prodit ſubflavum, exterius rugis in longum ſtriatum & granulatum ac oleo inunctum, intus fungoſum, humidum, molle & albicans, eſculentum, ſapore multo dulciori quàm medulla, verùm nonnihil faſtidioſo.

Ex hac arbore liquor *Suri* quoque provenit, qui potus eſt ut vinum vim inebriandi obtinens, ſaporis grati, ſubdulcis, ſubſalſi & ſubacidi, cùm primùm exceptus eſt majori dulcedine, cùm vetuſtior acidior, coloris ex albicante ſubcœrulei & pallidi, in ſuperficie bullis ſeu ſpuma obſitus ac brevi tempore fermentans ac inter fermentandum ſibilum edens ac guttulas tenues veluti vinum forte & vegetum in aërem excutiens, vi quoque maſſam farinaceam ſeu cereviſiam fermentandi pollens maximè cùm dulcior eſt, eſtque liquor maximo commodo ſerviens, ex quo vinum ardens, quod ut vinum vim inebriandi habet, acetum ac ſaccharum quod *Iagra* vocant, formatur; educitur autem hic liquor ab iis quos *Chegues* vocant hoc modo: capſæ floriferæ ſeu fructiferæ, quam *Mammam* arboris vocant, cuſpidem incidunt, eique ollam appendent, ac infra cuſpidem intervallo quatuor digitorum corticem capſæ obliquè ſecant, ſectumque verſus cuſpidem elevant barbam ut ajunt efficientes, ut liquor ex cuſpide inciſo per corticem capſæ dimanans ex barba in ollam appenſam refundatur, cuſpidem autem inciſum vel limo certo obducunt, vel foliis *Vétti-Táli*, vel corticis exterioris viridi raſura idque ad obturandum cavernulas in cuſpide ſitas, ne per eas liquor *Suri* ex ſurculis, qui intra capſam ſunt, exſtillans, intra ipſam capſam ſe effundat: capſam quoque vinciunt in inciſura cum cortice qui à ramis foliaceis detractus eſt ad impediendum ne rumpatur; *Mamma* autem ſeu capſa cuſpide primum inciſo poſt quinque dies

 dat

dat *Suri*, estque is liquor qui primùm exstillat colore rubescente; bis de die mane & vesperi ex communi usu ollas cum *Suri* detrahunt; cùm tribus vicibus, etiam meridie; ollæ priusquam appenduntur, primum bene tersæ sunt ac ab omni liquore expurgatæ, quoties autem appenduntur, cuspis inciditur & prædicto modo oblinitur, ac insuper *Mamma* in quatuor partibus proximè ad oras, non verò in ipsis oris, neque in medio inter duas oras pulsatur cum osse butyro repleto, fit autem illa pulsatio ne liquor intercipiatur ac hæreat, sed faciliùs ac liberiùs, atque adeo copiosiùs manet; liquor hic *Suri* dictus, qui medio die detrahitur in ollis mane appensis, dulcis est, qui vesperâ subacidus, altero die acescens, tertio autem die liquor dulcis acidus redditur, suam dulcedinem prorsus amittens; liquor qui ex arbore tenera educitur minus fortis ac vegetus est quàm qui ex arbore grandiori & vetustiori, minùsque spirituosus, adeò ut minus vini ardentis per distillationem exhibeat, odoremque terræ in qua nascitur etiam spirans; liquor quem arbores valde vetustæ dant, minori copia emanat & dulcior est ac magis inebrians; vinum ardens ex hoc liquore postquam uno die in ollis detractis servatus est, destillando extrahitur additis nonnullis guttulis olei de *Cocos*; ut acetum ex eo conficiant, ollas in quibus exceptus est, in calce per quindecim dies imponunt, quo ad fermentationem vehementem excitatus multam spumam ebulliendo ac in fundum ollæ materiam albicantem, quæ coloris cinerei est, demittendo, mutatur in acetum; Saccharum autem *Iagra* dictum ex eo liquore hoc modo conficitur; ollis quas *Mammis* arboris appendunt, indunt momentum calcis quantum sufficit ad liquorem instillatum rubedine tingendum, nam si calx superflua sit liquor est magis albicans & lacteus colore calcis, si minus calcis additum, liquor ex suo colore albicat, dein hunc liquorem *Suri* ita cum calce sufficienter imbutum & permixtum, coquunt, continuò eum cum cochleari movendo donec inspissetur, habeturque tum saccharum rubrum; notandum verò ex liquore *Suri* instillato, cui minus calcis datum est, non posse saccharum confici, si verò plus calcis ei datum sit, adeò ut in fundo impermixta resideat ad saccharum conficiendum residuum calcis primum esse demendum; in confectione sacchari seu *Iagra* albicantis hoc insuper observatur quod liquorem *Suri* cum calce permixtum in ollas diversas ad separationem calcis transfundant, mutando ter ollas, ut si mane detractus sit, medio die calce quæ in fundo subsedit relictâ, in novam ollam infunditur, atque ita altera vice hora secunda, ac vespera rursus in novam ollam refusa coquitur.

Hæc arbor valde ferax est, præcipue quæ in locis salsis ac proximè ad mare nascitur, quæ in montosis provenit minùs ferax est, ac fructus seu *Cocos* minores dat, quorum aqua saporis est minus dulcis ac minus grati, liquorem *Suri* minori quoque copia fundit, qui tamen

men fortior eſt; à vigeſimo quinto ad trigeſimum ætatis annum vigore eſt ſummo, fructus ſeu *Cocos* abundantiores & grandiores uti & capſas ſeu Mammas in quibus incluſi ſunt majores producens, ac liquorem *Suri* uberius fundens, ab eo tempore quo fructus dat, maturis deciduis novos ſemper dat fructus, licet cùm longævæ ætatis ſit, minori copia & forma minores; liquor *Suri*, quem vetuſtior dat, minori quoque copia exſtillat; verùm dulcior & fortior eſt; centum annos ordinarie durat in vita; cùm languet ac morti proxima eſt, rami omnes folioſi flaveſcentes ac velut aduſti conſpiciuntur.

Obſervatum eſt de hac arbore eam tertio poſt ſationem anno ramis, qui in juſtam magnitudinem excrevére, veſtitam eſſe, atque ab eo tempore ramos incipere decidere, ſuntque tum rami ad ſeſquihominis vel etiam duorum altitudinem ſurrecti, & caudex qui ramis in totum circumveſtitus ac obtectus eſt non major quàm altitudine unius cubiti, craſſitie autem unum pedem æquans: ſingulis menſibus ordinariè unus ramus novus prodit, veteribus interea deciduis, eſtque tempore æſtivo lapſus ramorum frequentior quàm pluvioſo, ſpatio trium menſium rami in juſtam magnitudinem excreſcunt, puta qui poſt tertium annum à ſatione in arbore proveniunt; ante exortum capſarum ſeu *Mammarum* fructiferarum rami majore longitudine ſunt quàm poſt, in arbore grandi ordinariè viginti octo rami plus minus conſpiciuntur; capſas cum ſuis fructibus quandoque tertio à ſatione anno, vel quinto, vel octavo, vel decimo producunt, prout terra magis vel minus bona eſt: capſæ infra ſingulos ſeptem ramos qui è ſummitate arboris prodeunt, proveniunt ſpatio trium menſium in ſuam juſtam magnitudinem excreſcentes, ſeſeque decimo quinto die pòſt aperientes; flores quinto vel ſexto die poſt capſarum aperturam decidunt; in arbore ordinariè ſunt duodecim faſciæ *Cocorum*, una faſcia fert *Cocos Siccos* dictos: *Baráttu-Ténga*, ſeu *Cotta-Tenga*; altera fructus maturos dictos *Palupèn-Ténga*, qui carne magis dura ſunt quam *Maninga*, minus verò quam *Ténga*; tertia fructus immaturos, dictos *Belacà-Caricù*; quarta fructus dictos *Maninga*; quinta fructus dictos *Elani*; ſexta fructus dictos *Curimba*; præterea duæ *Mammæ* apertæ & quatuor clauſæ; Ex fructibus teneris & ex *Mamma* primùm erumpentibus ordinariè quindecim aut ſedecim è ramis decidunt, reliquis in *Cocos* excreſcentibus; tertio poſt aperturam Mammæ menſe fructus aquæ pauxillum acquirunt, ſexto autem menſe omni aqua ſunt repleti; dein ſpatio trium menſium omni ſua medulla implentur, quæ poſt tres menſes indureſcit ac tum cocus ex arbore decidit, uno autem menſe ante delapſum aqua diminuitur ac tum etiam oculus in medulla ſe offert: fructu deciduo poſt unum menſem ſe prodit pyrum quod ſpatio ſex menſium totam cavitatem replet, intra quod tempus ſi terræ mandatus

 ſit

ſit *Cocus*, ex oculo ſurculus cum ramis novellis ad altitudinem unius cubiti aſſurgit.

VIRES EJUS.

R*Adix* decocta in aqua & cum ſicco gingibere epota confert pro febre calida, eadem trita & decocta cum oleo fructus ſeu *Coqui* adhibetur in ablutione oris pro puſtulis in gingiva obortis; ſuccus ex ramis tenellis expreſſus & mixtus cum momento mellis oculis ad ſedandum dolorem adhibetur facta lotione, ſuccus foliorum cum oleo fructus ſeu *Coqui* in decocto datus proficuus eſt pro hæmorrhoïdibus; flores cum ſaccharo comeſti juvant urinantes materiam purulentam; ſuccus ex floribus expreſſus ac in lacte vaccæ datus proficuus eſt pro gonorrhœa; capſula florum trita & cum oleo decocta prodeſt in ulceribus ex aduſtione ortis facta perunctione, ſuccus ex fructu tenello expreſſus ſervit pro puſtulis oris in infantibus facta lotione, ut & pro oculorum doloribus eodem modo adhibita; aqua *Cansje* epota cum floribus ardori jecoris reſtinguendo confert, eadem in iterata lotione capitis pro rubedine oculorum conducit; medulla fructus ſeu *Coqui* valet pro ſulcis oris maſticata; oleum ex medulla extractum puſtulas capitis pellit facta perunctione, idem proficuum quoque eſt pro hæmorrhoïdibus eodem modo uſurpatum; pyrum quod ex aqua in cavitate *Coqui* excreſcit cum oryza toſtum datur pro tuſſi ex melancholia nata, ex cortice arboris exprimitur oleum quocum ungitur pars affecta morbo cutaneo nato ex vermibus.

F I G. 1. 2. 3. 4.

Palmarum varias inveniri ſpecies, vel mediocriter in Botanicis exercitato ſatis eſt notum. *C. Baukinus* in *Pinace* quadraginta ſeptem proponit, & hanc quidem primam recenſet, inter Palmas Nucem ferentes, nomine *Palmæ Indicæ Cocciferæ anguloſæ, Ianſiat Indi*, id eſt, *Nucis Indicæ Avicennæ*.

Cum autem in pleriſque tam Orientalis quam Occidentalis Indiæ regionibus, præſertim locis maritimis, copioſe germinet, hinc paſſim ejus hiſtoriam pluribus tradunt autores: & imprimis præ aliis *Garzias ab Horto*, & in eum *Cluſius*. Vires quoque & uſus fuſiùs enarrant *Hernandes* & *Recchius*, *Plantarum Mexicanarum hiſtoriæ libro tertio*, ubi ab incolis arborem hanc *Coyolli* vocari affirmant, diverſaſque ejus in nova Hiſpania obſervari ſpecies.

Accuratiſſimam autem hujus arboris, ejuſque attributorum deſcriptionem, ſi quis inſuper deſideret, adeat celeberrimi *G. Piſonis Hiſtoriam naturalem Indiæ*, qui teſtatur ab incolis Braſilianis vocari *Inajagua çuiba*, & ſingula folia, pedes circiter ſedecim eſſe longa: à quo tamen non diſſentiunt Autores noſtri, dum ea duntaxat ſeſquicubitum æquare aſſerunt: cum illud quod Autores noſtri ramum vocent, à *Piſone* folium, & illud quod ab Autoribus folium, ab ipſo foliorum ala nuncupetur.

Præter autem varios uſus, ab aliis memoratos, quos humanum in commodum ſuppeditat hæc *Palma*, reſinam quoque fundit peculiarem, qualis mihi hoc anno ex *Zeilan* laudatiſſima totius orbis inſula, allata: conſtat ea ex ſarmentis medium digitum latis, & funiculi in modum in longum porrectis, coloris ſubfuſci & pellucidi, ſaporis autem lenti & præpinguis: quaſnam verò obtineat vires & facultates, addiſcere aut experiri nondum licuit.

CAUN-

Areca Catechu L.


Fig. 5.


Caunga. lat.


കമുങ്ങ. mal.

فوفل. Arab.

माइ bram.


Caunga. lat.
mal.
Arab.
bram.


Caunga. latin.
Mal.
Arab.
Can. aut. bram.


Fig. 8.
Caunga. lat.
Mal.
Arab.
माई bram

CAUNGA.

FIG. 5. 6. 7. 8.



Aunga, Ling. Bram. *Madì*, eſt arbor procera altitudine arborem *Tenga* æquans, naſcens in arenoſis. Fig. 5.

Radix nigricans, oblonga, craſſitie unius ſpithamæ, radiculas albicantes & rufas, quæ intus lignoſo filamento ſunt, ex ſe diffundens.

Caudex craſſitie unius ſpithamæ, maxima craſſitie ad radicem, in ſummitate paulò minori obductus cortice viridi-claro. *Rami* qui ex caudice ordinatè prodeunt, ac ordine decuſſato bini & bini ex ſe mutuo emergunt cum pede ſummitatem caudicis inſtar vaginæ ſeu capſæ rotundæ ac clauſæ circumplectentes, exterioribus interiores circumdantibus, ac ſimul caput oblongum in ſummitate *Caungæ*, quod craſſius eſt ipſo corpore caudicis inferiore, conſtituentibus, rami exteriores pede fiſſo ac rupto pòſt ſucceſſive ſuo tempore decidunt; eſt autem pes ramorum exterius viridi-fuſcus, in interiori ſuperficie albicans, contextura ferme coriaceus, ac interiori ſuperficie ſtriatus, intus lignoſis filamentis minus duris in longum perductus membrana candida & nitente, quæ firmæ & denſæ texturæ eſt, obductus: pars ramorum ſuperior quæ ex pede exit, inferius ad pedem latior eſt, dein ſenſim ſtrictior, exterius rotunda, interius nonnihil cava ac ſuperiora verſus interiùs in medio in coſtam acutam extuberans ac utrinque ad coſtam planis oris circumſcripta, in quibus foliis ex adverſo oppoſitis eſt veſtita exteriùs ut & interiùs colore viridi, ad pedem autem interiùs nonnihil flaveſcens, ac intus lignoſis mollibus filamentis ac fungoſis carneis fibris pertexta: ſunt autem folia oblongo-anguſta longitudine trium quatuorvé pedum & latitudine quatuor pollicum plus minus, ac inſtar flabellorum in duas treſvé, etiam quatuor quinqueve plicas complicata & cum plicis ex oris ramorum producta in parte interiori in plicarum angulis eminentibus coſtis viridi-claris obſitâ, & intus venis in longum ſtriata, contextura rigida, ſuperficie plana; viridi-fuſca & nitentia in utraque parte.

In *Capitulo Caunga* quod in ſummitate eſt intra pedes ramorum foliaceorum vaginiformes *Capſæ* in quibus faſciæ ramorum ac ſurculorum cum floribus & fructibus includuntur, proveniunt infra ſingulos una, ſunt autem capſæ oblongæ quatuor plus minus ſpithamas æquantes in una parte, qua pedi exteriori accumbunt rotundæ, in altera qua pedem interiorem complectuntur, cavi ambitus, ſuperficie glabra & æquabili, ad ſummitatem in medio partis cavæ ſtria lacunoſa in cujus tractu rumpunt ſulcatæ, colore exteriùs primùm viridi-diluto albicante & ſubflaveſcente, pòſt cum ætate flaveſcentes, interiùs coloris candidi, capſa exteriore accreſcente ramus exterior, qui eum arctè includit, vi detruditur; faſciæ ramorum & ſurculorum quæ in capſis incluſæ conſtant uno pede plano quo caudicis ſummitati circumpoſitæ, ſuntque in ramulis craſſioribus fructibus teneris dotatæ, & in ſurculis tenuibus, qui infra exortum fructuum erumpunt, ſpicis ſolis ſeu gemmis florum in duabus oppoſitis partibus obductæ; faſciæ autem hæ in ramis ac ſurculis primùm ſunt albicantes ſeu flavo-albicantes, dein virideſcentes, cùm vetuſtiores ſunt, colore viridi-fuſco & duræ. Fig. 6.

Spicæ Florum ſummitati ſurculorum obverſæ ſunt, ſuntque parvæ & angulatæ & Fig. 7.

albicantes, in tria folia rigida & cuſpidata ac craſſiola ſe aperientes, continentque in medio ſtamina novem albicantia tenuia ſine ullis apicibus, tria longiora ex flavo albicantia, quæ à ſex minoribus magis flavis cinguntur.

Fig. 8. *Fructus* qui faſciis ramorum adhærent cùm ſua magnitudine juſtâ ſunt, oblongo-rotundi ſunt, in ima & ſuperiori parte ſtrictiores, involuti cortice exteriori craſſo, ac conſtantes pulpa rufo-rubeſcente, & intus in medio pulpæ medulla albicànte, cùm autem teneri ſunt, hi fructus candidi ſunt ac nitentes, albicantibus ſurculis appendentes, forma non rotunda ſed angulata, maxima parte foliis calycis oblongo-rotundiolis & mutuo circumvolutis circumprehenſa, interiùs conſtantes pulpa denſa albicante, quæ ſaporis nullius & aſtringentis; poſtea cum ætate pulpa molli ſunt & pauca continentes in medio pulpæ humorem clarum ac multum qui cum pulpa aſtringentis ſaporis eſt, ſuntque tum dicti *Tannì-Painà*, dein pulpa interiori magis aucta ſunt, ac nullum humorem in medio continentes, ſuntque tum fructus dicti, *Schalémba-Painà*, cum ætate majori pulpa magis & magis indureſcit naſciturque in medio in longitudine medulla albicans, diciturque, cùm pulpa & medulla minus dura eſt, *Aria-Décca*, cùm durior *Adecca*, cùm maximè dura eſt & cortex aureo-flavus, *Paléca*; eſt autem pulpa, forma primum ovali habens cuſpidem acutiorem ad ſummitatem fructus, eſt verò pulpa, cùm tenera & humida eſt, colore albicante-ſubflavo, forma oblonga & anguſta & ad ſummitatem cuſpidata, dura, colore ex rufo-rubeſcente, forma eſt minus oblonga ac craſſior ac magis ad conum accedens, cujus baſis eſt in ima parte fructus: pulpa, ſeu dura, ſeu mollis, cum *Bétel* addito momento calcis manditur, maximè autem mollis; Cortex pulpam circumdans corticula exteriori denſiori & duriori, quæ ſuperficie plana & glabra eſt, ac primùm albicans, dein viridis, pòſt cùm pulpa ac medulla dura eſt, aureo-flavi coloris, obductus, intus conſtans carne primùm tenera albicante, quæ majori quantitate eſt ad imam partem fructus, ac corticula exteriori deciſa cum pulpa fructus in comeſtione *Bétel* ſimul manditur, cùm fructus vetuſtior eſt, filamentis lignoſis, quæ primùm coloris albicantis ſunt, dein cùm corticula exterior aureo-flava eſt, coloris quoque aureo-flavi ſeu crocei ſunt, eſt pertextus, eſtque tum adeo arctè pulpæ ſuperficiei adhærens, ut non facile deglubi poſſit: intra medullam albicantem in baſi fructus in medio oculus rotundiolus albicans conſpicitur, qui germen fructus eſt ſurculum edens: quatuor *Capſæ* plus minus ſimul in eadem arbore in *Capitulo* reperiuntur; quinto anno à ſatione dat *Fructus* ſi terra ferax ſit, ordinariè ſeptimo, vivit quinquaginta annos, triginta vegeta eſt fructus proferens, pòſt langueſcit, fructus poſt unum menſem, quo ex capſa erupére, aquam recipiunt, poſt tres menſes fructus omni aqua repleti ſunt, poſt ſex menſes pulpa dura.

VIRES EJUS.

R*Adix* decocta in aqua ſervit pro ore ſulcato ſi cum ea diluatur, uti & pro ejus puſtulis. Succus foliorum tenerorum expreſſus ac cum oleo *Schirgelim* datus confert pro lumbricis.

FIG. 5. 6 7. 8.

Arbor hæc à *C. Bauhino* in *Pinace* vocatur *Palma*, cujus fructus fiſſilis *Fauſel* dicitur, *Fauſel Serapioni*, *Filſel* & *Fufel Avicennæ*. Fructus tum alibi, tum in Regno *Malabar* à nobilioribus vocatur *Arcca*, teſte *Garzia ab Horto*, ad quem plura de hac materia deſiderantem lectorem remitto. Ut & *Chriſtophorum à Coſta*, qui *Avellanæ Indicæ* nomine fructus deſcribit, eoſque adhuc virentes, ſub arena condi teſtatur, ut guſtu evadant gratiores, quin & in lotionibus adſtringentibus magni eſſe uſus. Maximum autem huic fructui famam conciliavit quotidianus ejus cum foliis *Betre* ſive *Betle*, apud Indos Magnates & ditiores uſus, ut apud jam citatos autores, *Linſchoten* & *Boutium* (qui *Pynangh de Sirii* & *Sirii Boa* vocat) videre eſt.

Plures autem ejus dari ſpecies, teſtantur præter Autores noſtros, fructus magnitudine & forma varii, quos inter rariora aſſervo. Verum quem formâ oblongâ *Arccæ* ſubjungit *Cluſius*, toto cœlo ab eâ differt, cum nihil aliud ſit, quàm Nucleus interior *Palmapini Lobelii*.

C A-


Borassus flabellifer
Fig. 9.
Carim-panà. lat.
Mal.
Arab.
bram

CARIM-PANA.

FIG. 9.



Arìm-Panà duæ ſpecies ſunt, *Carìm-Panà* & *Ampana*. Fig. 9.

Carìm-Panà Bramanis *Talatámadò* Luſitan. *Palmeira Brava* fem. eſt arbor procera naſcens in arenoſis.

Radix ſupernè capillata, ac infernè ramum medium craſſiorem rectà demittens, ac cum eo ramos transverſos tenuiores, eſtque cortice ac ligno nigricante.

Caudex ligno rufo-nigricante, in medio corculo molli, exteriùs cortice ſeu cruſta nigricante, quæ deglubi nequit, ut *Tenga*, obductus, ad cruſtam ligno duriore.

Rami coronatim ac ordine decuſſato caudicem circumſident, ſuntque in pede, qui quatuor ferme cubitos oblongus, interius plani & nonnihil cavi, exterius rotundi ac in oris ob cuſpides eminentes aſperi & incidentes, infernè latiores ac ſpithamam fermè in latitudine æquantes, supernè ſtrictiores ac latitudinem ferme unius palmi, in ſummitate folium prægrande, quod latiſſimum eſt, ac velut flabellum plicatum explicant; ſunt autem folia hæc in plicarum oris eminentibus coſtis aſperis obducta, in anteriore parte inciſa, ac in plures cuſpides ſtricta, contextura denſa & craſſa, in longum venis denſis ſtriata; rami cùm tenerrimi ſunt cum ſuis foliis flabelli-formibus candida ſunt & nitentia ac folia in ſe plicis convoluta, anterius haud inciſa.

Fructus ſunt externa forma ſimiles fructibus *Tenga*, ſed minores & rotundiores & in vertice nonnihil plani calyci arcto & majori & foliis mutuo circumvolutis excepti, prodeuntes ex capſis quæ tribus foliis arcte circumvolutis conſtant, ac ſupra ex exortu ramorum erumpunt, ſunt autem hi fructus calyce arcto & majori ex foliis mutuo ei circumvolutis compoſito excepti, corticis craſſi exteriùs obducti corticula denſa, quæ fructibus immaturis viridi-fuſca, nitens ac glabra, ac iis maturis inferiùs ſupra calycem nigricans & nitens, ac ſulcis ſeu fiſſuris in longum ſtriata eſt, ſuperiùs in vertice ex viridi-flaveſcens ſeu prorſus flava, intus autem cortex pulpam habet denſam, quæ primùm mollis ac alba eſt, dein cum fructus probè maturi ſunt, filamentis lignoſis, tenuioribus ac mollibus & minus duris densè pertexta ac ſucculenta, ſaporis ſubdulcis & non ingrati, odoris fortis ac ejuſdem ut caro fructus dicti *Schácca*; in medio pulpæ corticis duæ treſve nuces oblongo-rotundæ & planæ

pulpa intermedia à se mutuo sejunctæ consitæ sunt, constantque exteriùs operimento crasso ac lignoso, cùm vetustiores sunt, nonnihil petroso ac summè duro, quod in exteriori superficie filamentis lignosis albicantibus arctissimè obductum est, adeo ut minus glabrum sit quàm operimentum lignosum in fructu cocos; in hisce cùm teneriores sunt, intus medulla est cœrulea & transparens, crassa, mollis & gelatina ac esculenta, saporis dulcis haud ingrati, quæ cum tempore valde indurescit, adeo ut mandi nequeat.

Apud hosce Medicos non est in usu.

FIG. 9.

Hujus *Palmæ Coccideræ* complicato folio fructu minore, folium prægrande munere Domini *Pauli Hermans*, Medici & Botanici præstantissimi, Civitatisque *Columbo* in Insula *Zeilan* Consiliarii Justitiæ dignissimi, possideo. Longitudine illud tredecim, & latitudine vel modicè expansum novem pedes superat, eamque obtinet figuram, quam hic Autores nostri describunt: Verum & insuper, ubi foliorum laciniæ vel divisuræ incipiunt, filamenta habet plurima, teretia, ejusdem cum laciniis longitudinis, quæ deorsim propendent. Addebat Dominus *Hermans* sexaginta milliaribus supra *Columbam* fuisse allatum, & ab incolis vocari *Talagaha*, id est, arborem umbrosam, foliis enim utuntur umbraculi loco.



AMPA-


Borassus flabellifer mas


Ampana. lat.


അം പന *mal.*


Arab.


तळतमाडु *bram.*











AMPANA.

FIG. 10.



Mpana, quæ ſecunda ſpecies, Ling. Bram. *Tala-támado*, Luſitanis *Palmera Bràvo Machò*, cum *Carìm-Pana* eadem eſt, tantùm in eo differens, quòd loco fructuum ſeu *Cocorum Capitula* teretia & florifera proferat; hæc autem Capitula ex *Capſis* quæ foliis mutuo circumvolutis conſtant, ac ſupra ex exortu ramorum emicant, diverſis caulibus, qui duri, plani & primùm albicantes, dein virides ſunt, prorumpunt, in ſummitate unius caulis, duo triave ſita; ſunt autem capitula duas ſpithamas plus minus longa, & nonnihil incurva, primùm cum caulibus albicantia, dein videſcentia & fractu facilia, in ſuperficie plurimis ſquammulis quæ ex intortione apertæ ſummitatem eorum reſpiciunt, obducta. Fig. 10.

Flores quos ferunt inter ſquammas ex ſuis oculis emicant in tractibus ſpiralibus, at non ſignatis, ac ſibi mutuo parallelis conſiti: ſuntque ſtellulæ conſtantes tribus parvis interiùs cochleato-cavis ac rigidiuſculis foliolis, quæ primùm cum capitulo albicantes, dein videſcentes ſunt, conſtantes, continentque in medio quinque vel ſex tenuia ſtamina, quæ apicibus albicantibus, ſubflavis & grandiuſculis ac ſtriatis dotata ſunt.

In hiſce *Capitulis* floriferis intra carnem proximè ex adverſo oculorum florum *Gemmæ* oblongo-rotundæ ad ſuperficiem erectæ, quæ glabro loculamento occluſæ ſunt, continentur, quorum oculis flores inſerti ſunt.


Apud hoſce Medicos non eſt in uſu.

FIG. 10.

Palma hæc ab aliis non deſcripta, non incommodè meo judicio vocabitur *Palma Malabarica*, floſculis ſtellatis, fructu longo ſquammato.

Mirus verò naturæ luſus in hac & præcedente ſpecie conſiderandus venit, quæ Plantis quoad cætera ſimillimis, toto cœlo diſcrepantes flores & fructus appoſuit.

An autem eam ob rationem, ex Legibus naturæ, à Clariſſimo *Moriſſono* exhibitis disjungi debeant, unicuique judicandum relinquo.


Caryota urens L
Fig. II.
Schunda-pana. lat
mal.
Arab.
bram

SCHUNDA-PANA.

FIG. 11.



Chunda-Panà, Ling. Bram. *Biralà-Madò*, eſt arbor procera naſcens in arenoſis. Fig. 11.

Radix eſt rufo-obſcuro cortice obducta, intus in medio ligno molliori, fibris hinc inde veſtita.

Caudex ambitu amplexum duorum hominum implens in ſuperficie obductus cortice ſeu potius cruſta cinerea quæ deglubi nequit. Ad cruſtam eſt ligno duro interiùs medio ferme ambitus diametro ligno molli.

Rami qui ex caudice ordinatè prodeunt ac ordine decuſſato bini & bini ex ſe mutuo exſurgunt cum pede caudicem circumſident, quemadmodum rami *Ténga*, eumque reticulato raro cortice, cujus filamenta ex oris pedis originem ſumunt, circumveſtiunt, ſuntque in pede tenues & cavi, ac tomentoſa rufa lanugine exteriùs obſiti, ac tactu velut coriacei, interiori ſuperficie albicantes ſeu ruffi, inferiùs latiores, parte ſuperiori, quo à caudice reflectuntur, ſunt rotundiores & duabus lacunis latis interiùs utrinque in longum ſtriati, ex quibus verſus oppoſitas partes ſurculos foliaceos qui angulati, virides, interiùs ſtriati ſunt, ac ad exortum extuberantes emittunt, exteriùs virides ac piloſa lanugine, quæ facile deteri poteſt, obſiti, intus filamentis lignoſis laxe pertexti, ſuntque ob lignum paucum leves.

Folia in ſurculis ramorum ad interiorem partem exoriuntur caulem inveſtientes, ac verſus duas oppoſitas partes obverſa, ſuntque oblonga ac velut triangulari ambitu circumſcripta in una parte anteriora verſus longiori ora, in altera quæ ſurculum proximè contingit, breviori excurrentia, ac cum duabus oris ad exortum angulum rectum acutum efficientia, atque adeo anteriùs latiora, ac in anteriori ora, quæ inter duas laterales intermedia eſt, ac cum ora interiori ac breviori angulum obtuſum, cum exteriori ac longiori angulum acutum efficit, cuſpidibus acutis eminentia, ſuntque contextura rigida, venis ex angulo exortus prodeuntibus, quæ certis intervallis velut nervi eminentes in adverſa parte extuberant, ſtriata in longum, ſuperficie utraque glabra ac viridi-fuſca, & valde nitentia; folia quæ in ſummitate ramorum oriuntur ex ramo tanquam coſta intermedia protenduntur.

Flores & *Fructus* in capſis oblongis, quæ ex caudice ſupra originem ſurculorum foliaceorum tranſverſum prodeunt, ac oblongæ ſunt unum brachium, ac quatuor quinqueve viridibus ſcutellatis corticibus conſtant, ſimul proveniunt ſurculis numeroſis, qui capſis apertis

ex

ex iis erumpunt, ac ramo medio craſſiori coronatim circumpoſiti octo plus minus cubitos longi evadunt & graves faſcias conſtituunt denſo ordine arctè inſidentes.

Sunt autem flores ſpicei, oblongo-rotundi, ac longitudine ferme unciali rectà ſurculis impoſiti ac nonnihil poſteriora verſus reflexi, & bini ac bini paſſim ex adverſo ad ſe invicem ſiti, cùm ſe aperiunt in duo, ſed maximè ac ad ſummum in tria folia, quæ ſurrecta & cuſpidata, rigida, dura, craſſa, nullis venulis ſtriata, ac interiùs nonnihil cochleatæ-cavæ ſunt, ſe dividunt, uti & manuum preſſione reſolvuntur, colore primùm ſunt viridi, pòſt rubeſcente, ſeu purpureo-rubeſcente, dein flaveſcente, alii aperti, alii clauſi atque adeo etiam diverſi coloris, alii rubri, alii cœruleo-rubri dilutiùs, vel intenſiùs, alii flavi.

E medio horum ſpiceorum foliorum emicat penicillus anguſtorum, flavorum, ſurrectorum ac ſtriatorum foliorum, quæ inſtar ſtaminum ſunt.

Gemmæ fructuum juxta ſpiceos flores ſiti ſunt, ſuntque minores quàm flores, rotundæ ac in vertice cuſpidatæ, & cum cuſpide anteriora verſus reflexæ, quæ floribus deciduis remanent ac in fructus excreſcunt.

Sunt autem fructus, cùm in juſtam magnitudinem excrevére, confertiſſimo ſuo numero faſciam ramorum valde onerantes, plano-rotundi ſurculis, qui ſtriati ſunt, ſine petiolis inſidentes, primùm cùm immaturi, duri ac virides, dein flavi, ac vetuſtiores rubicundi, cùm probè maturi, rubicundo-obſcuri & nitentes, conſtantes cortice tenui & carne intus molli & rubra, quæ ex guſtu linguam acerrimè pungit & lancinat.

Intus *Semina* ſeu *Nuclei* duo duri ſunt, totam ferme capacitatem fructus replentes, forma oblongi, una parte rotunda, altera qua ſibi mutuo accumbunt, plana, ſtriis lacunoſa, colore exteriùs rubro, ac carne intus albicante cœrulea & rubra.

Apud hoſce Medicos non eſt in uſu.

FIG. II.

Arborem hanc *Palmæ Dactyliferæ* eſſe ſpeciem, non eſt quod quis dubitet: & niſi fructûs carnem linguam acerrimè pungere & lancinare traderent Autores, non incommodè ad *Palmam Americanam* fructu racemoſo *C. Bauhini* referri poſſe, opinarer. Quin & putem, figuram illam qum *Exoticorum* Lib. IV. Cap. XII. *Chamæriphes Peregrinæ* nomine, exhibet *Cluſius*, nihil aliud eſſe, quàm racemum aut faſciam, cui adhæſerunt hujus arboris fructus.

BALA.

Fig. 12.

Bála. *lat*.
വാഴ *Mal*.
بنچيا *Arab*.
केळि *Bram*.


Bàla. lat.
വാഴ mal.
Arab.
केळि bram.


Fig. 14.
Bàla. lat.
വാഴ Mal.
Arab.
केळि bram.

BALA.

FIG. 12. 13. 14.



Ala lingua Bramanum *Kely*, eſt arbor ad duûm hominum altitudinem aſſurgens, naſciturque in arenoſis. Fig.12.

Radix craſſa eſt duas ſpithamas ac tres oblonga, ambitu rotundo, plurimis fibris capillatis, quæ intus lignoſæ ſunt, veſtita, exteriùs fuſca ac nigricans, intus carne albicante, quæ ſaporis aquei, ſubdulcis & ſubaſtringentis eſt, quæ inciſa humorem albicantem nonnihil unctuoſum, qui ſaporis ſubdulcis & valde aſtringentis eſt, exudat, ac illicò ſubrubro, ſeu perſico colore ſuffunditur; intervallo ferme pollicari ab ambitu annulo ſeu circulo tenui parum lignoſo ac etiam molli in orbem pertexta conſpicitur, ex quo fibræ radicis filamenta recipiunt, ac plurima filamenta lignoſa tenuiſſima verſus corticem hinc inde deducuntur, rariſſima autem ac brevia verſus interiores annuli partes.

Ex radice *Rami folioſi* ſimplices, quorum interiores ex exterioribus, à quibus arctè comprehenduntur, ordine ferme decuſſato emicant pede recto & oblongo, qui unius ſeu duûm etiam hominum altitudinem metitur, aſſurgunt, cum ſuperiori parte, in qua foliis veſtiti ſunt magis minuſve à pede reflexi ac pandi, ſunt autem in pede exteriùs rotundi, interiùs cavi in ima parte pedis quâ ſuperficiei radicis annulari tractu inſident ac ſuperiori æque lati ac latitudine unius ſpithamæ, in media pedis latitudine craſſi ferme unum pollicem, ac inde verſus oras ſenſim extenuati exteriùs cortice glabro & ſubviridi ſeu etiam viridi-flaveſcente, qui in filamenta candida, dura & valida in longum protrahi poteſt, interiùs corticula ſeu membrana glabra & candida obducti; intus in longum perducti numeroſis parietibus, albicantibus, ſimplicibus, parallelis, qui ſinguli venulis intus in longum ſtriati ſunt, ac plurimis tranſverſis membranaceis interſepimentis in camerulas ſeu loculos, qui cortice exteriori & interiori occluſi ſunt, diſtincti, ſapore aquoſo haud adſtringente; ſuperiori parte, qua à pede magis minuſve reflexi ſunt ac pandi, majori ſunt craſſitie, & minus lati, cum maxima latitudine infernè, inde ſenſim uſque ad apicem ſtrictiores, exteriùs rotundiores, ac interiùs rotundiore cavitate, ac in oras extenuatas ſtricti, intus quoque ejuſdem texturæ ut in pede, ſuntque rami intervallo à pede ferme ſpithamæ, ſeu etiam cubitali, nullo folio veſtiti, inde uſque ad apicem veſtiti uno folio, conſtituuntque velut mediam coſtam foliorum, cujus latera ex ejus oris tenuibus utrinque excurrunt: cùm teneriores, colore ſunt in totum albicante; cùm vetuſtiores, viridi-diluto ac cœruleo rore conſperſi, dein cum majori ætate flaveſcentes.

Folia, quæ ramorum ſuperiorem partem inveſtiunt, oblongo-rotunda & lata ſunt cum ſuo ramo medio ſeu coſta longitudine ferme ſeſquihominis, in medio maxima latitudine, quæ ferme eſt unius cubiti, & inde verſus apicem & imam partem ſtrictiori, ſuntque ſuperficie glabra, leniſſima ac æquabiliſſima, ſubtiliſſimæ texturæ, adeo ut aqua in iis ſparſim diffuſa illico in rotundiſſimas guttulas ſe colligat, viroris in recta vividi & nitentis, in adverſa minori nitore, ſaporis ſubadſtringentis & ſubdulcis, venulis denſis ſubtiliſſimis & parallelis, quæ ex oris coſtæ ſeu rami medii tranſverſim excurrunt ac initio ſui tractus ex inferiori coſtæ parte conſpicue deducuntur, ſtriata & in margine rubro limbulo cincta, in quem

venæ tractu superiora versus inflexo incurrunt, intervallis autem ordinatis ac ferme semidigitalibus venulis magis nitentibus sunt, ac in earum tractu in recta parum extuberantia, & in adversa rugulis tenuiter striata, ac in ipsis costæ oris in tractu suo obliquè ex inferiore costæ parte conspicuè deducuntur, ac in margine ubi teneriora cum suo ramo in totum sunt albicantia, & in parte recta album sericum ex vividissimo candore & nitore æmulantia; folium intimum quod ex radice prodit ac ab aliis comprehenditur, in se convolutum est.

Post foliorum omnium, quæ ex radice originem sumunt, exortum, unus *Caulis* rotundus, qui parte inferiore nonnihil crassior, ex medio pedum ramorum foliaceorum è radice exsurgit in summitate cono nodulatus, ac ex eo hinc inde dissitis intervallis rami tres quatuorve, quorum superiores conum obtegunt ac involvunt, emergunt, quibus apertis & relaxatis conus se foras prodit arborisque partus conspicitur; horum autem ramorum folia trium quatuorve digitorum transversorum seu palmi vel spithamæ intervallo à superiori parte pedis eos investiunt, suntque minus oblonga quàm quæ in prioribus ramis ac minori intervallo puta palmi vel spithamæ plus minus à pede exorta.

Caulis in parte ea, quæ à pede ramorum investita est, albicans & mollis ac tener est parte superiori, quæ cum cono foras se prodit, viridescit ac durior evadit, & filamentis nonnihil lignosis est pertextus, ac cum tempore magis magisque pandus, estque intus in totum fistulosus ac saporis aquei, subdulcis & subadstringentis, ubi confringitur, plura filamenta candida ex superficie partium confractarum deducuntur ac longè protrahuntur; hic tener coctus ac à filamentis separatus est in eduliis: succus in parte superiori contentus magis adstringens est & sublacteus ac unctuosus.

Fig.13. *Flores* ac *Fructus* simul in cono proveniunt; est autem conus spithamam longus, constans ex foliis plurimis oblongo-rotundis anterius contractioribus, grandiusculis, crassis, & sibi mutuo superimpositis, ac clausis, & in diversas series dispositis: quæ coriacea, exterius corrugata ac sulcis & interius venis in cuspidem desinentibus striata sunt; quæ exteriora folia, colore sunt exterius rubro-fusco & subcœruleo rore conspersa, ac in interiori superficie sanguinea; quæ interiora, colore flavo & magis ac magis albicante, cùm tener est, conus cum suo caule colore in totum est albicante; intra singula hujus coni folia quæ unum post alterum se aperiunt ac dein decidunt, flores cum fructibus quibus insident seu flores soli includuntur, & quidem intra folia exteriora & inferiora flores cum fructibus simul, quibus insident, intra folia autem interiora & propius ad cuspidem coni sita, flores soli sine fructibus.

Sunt autem *Flores*, qui *Fructibus* insident, constantes quatuor foliis, tria sunt oblonga, surrecta & rigida, infernè latiora ac sensim in angustum contracta, crassa, nonnihil pellucida, albicantia, & nitentia, ac venis in longum striata, superiùs in cuspide flava, atque eorum unum, quod exteriùs situm, latius est & superne in tres cuspides flavas incisum, duo cætera angustiora & in unam cuspidem contracta, atque ex hisce duobus unum quod folio latiori magis proximè adjacet cochleatæ cavitatis tenue & magis transparens, quartum folium quod inter duo folia oblonga, crassiora consitum est, & ex adverso folii oblongi tenuioris, est instar vesiculæ seu folliculi rotundi interiora versus convolutum, candidissimum, nitens, ac maxime transparens, tenuissimis venulis in longum striatum, minùs oblongum, ac in ora rotunda verticis cuspide crispatâ eminens, in se, cùm nondum apertum est, humorem limpidum, unctuosum, ut ovi albumen, sed tenuiorem, ac subdulcem, instar mellis, continens.

E me-

E medio *Florum* ex umbilico fructus quinque *Stamina* cum *Stylo oblongo* exſurgunt: *Stamina* erecta plana, & lata, ac parum craſſiola, ſunt ejuſdem longitudinis, & candida.

Stylus Rotundus, craſſus, oblongus, ſupra ſtamina ferme dimidia longitudine eminens, ac folia oblonga longitudine ferme æquans, inferiùs craſſior, coloris albicantis & rubeſcentis, in vertice uno nodo craſſo, plano, rotundo, ac velut cereo & nonnihil ex albo fuſco dotatus.

Flores qui nullum fructum dant prioribus ferme ſimiles, ſed nonnihil ab iis differentes, conſtantes tantùm duobus albicantibus foliis, uno oblongo, ſurrecto & interiora verſus contracto, ac ſupernè in quinque cuſpides flavas, quarum duæ interiores anguſtiores ſunt, inciſo, quod in foliis prioribus eſt tricuſpidatum, & altero folliculiformi tenui minori, quod à folio majori circumvoluto includitur, quod idem eſt ut folliculiforme folium in prioribus floribus, ſed minùs amplum ac etiam liquorem ſubdulcem continens.

Stamina, quæ in hiſce quoque quinque candida, ſed oblonga ſunt, ferme ad nodum ſtyli exſurgentia, inferiùs nitentia & rotundiola, & ſupernè plana ac interiùs utrinque ad oras ſutura eminente fuſca obſita; ſtylus oblongus, craſſus, albicans, uno nodo craſſo ſtriato eſt dotatus: ſunt autem hi flores pede rotundiolo, unciali, denſo & carnoſo, qui exteriùs & intus eſt albicans, ac tenerrimum fructûs germen referens, conſtantes, ac ſuo pede ad ungues foliorum coniformis capituli, quod eos includit, ſemiannularibus extuberantiis caulis ſeriebus ferme binis ſurrecti ac densè ad ſe invicem juncti, inſidentes, ac oculos albicantes decidui relinquentes.

Fructus in ſuo *Caule* faſciatim ſeu plures congregatim proveniunt inferioribus ſemiannularibus extuberantiis caulis, quæ eo excreſcente latius deducuntur, & quò magni inferiores ſunt, eò latiore intervallo diſtant, poſitis ſeriebus ferme binis plures ut duodecim, quatuordecimvé plus minus ad ſe invicem ſurrecti inſidentes, ac in novem, decemve diſtinctis ordinibus plus minùs caulem circumſtantes, ſuntque oblongi longitudine plus minus unius ſpithamæ, cùm maturi ſunt minùs angulati ſeu rotundi, conſtantes cortice æquabili, craſſiolo, exteriùs flavo, cùm immaturi ſunt, intus pulpa flava, denſa, & molli, ac unctuoſa, quæ ſaporis dulcis & grati ac ad corticis interiorem ſuperficiem carne minùs denſa ſeu fungoſa & albicante obducti, transverſim ſecti in carne nota magis fuſca ſeu rufa velut ſigno crucis interſtincti, ac punctulis hinc inde nigricantibus conſperſi, cùm immaturi ſunt, magis angulati, cortice viridi, qui, cùm tenerrimi ſunt, primùm eſt albicans, intus pulpa minus molli, & albicante, ac ſaporis adſtringentis, ac expreſſi, liquorem exſtillantes ſpiſſiorem, unctuoſum, ac viſcidum, qui in pannum decidens eum inficit macula, quæ nullo negotio elui poteſt. Fig. 14.

Faſciæ horum *Fructuum* in uno caule ordinario tres pedes plus minus oblongæ ſunt.

Semina in iis communiter nulla.

VIRES EJUS.

Radix contrita & epota in lacte vertiginem capitis ſedat; ejus aqua cum ſaccharo permixta proficuè ebibitur pro ardore renum, quin & eadem aqua ſimpliciter epota pro doloribus ex urina obortis confert, daturque proficuè iis, quorum corpus argento vivo diſtillato infectum eſt, ut & iis qui inter edendum capillos hauſerunt: corculum arboris putà caulem albicantem, qui fructum fert, tritum & cum melle intus ſumptum malis oculorum convenit, ad

quod etiam ſervit butyrum in quo fructus ſeu fici in fruſta ſecti toſti ſunt, epotum.

Bála ex diverſitate fructuum plures ac diverſæ ſunt ſpecies, ut *Néndera-Bála* quæ fructum fert oblongiorem cæteris, qui in cortice eſt, colore rubro, & intus carne rubeſcente, ſuntque ejus ſpecies *Néra-Nenderæ*, quæ fructibus eſt grandioribus, & *Curvò-Coddè*, quæ fructibus eſt minus oblongis, *Cadali-Bála* fructus fert gratis & jucundi odoris, qui cortice ſunt tenui; ejus ſpecies *Schéru-Cadalì*, quæ minores fructus fert, & *Eradà-Caduli*, quæ ſapore præferuntur: *Puàm-Bála* fructus fert exactè rotundos, & oblongiores, ac craſſiores quàm *Cadalì-Bála*, qui ſaporis ſunt optimi, eſtque ejus ſpecies *Turenále-Bála* utpote grandior. *Mánnem-Bála* fert fructus angulatos quatuor ſuperficierum, qui carne nonnihil oleoſa ac pingui, ſunt ſaporis magis dulcis, cortice craſſo, habetque hæc folia craſſiora cæteris & magis lata ac oblongiora; *Cinga-Bála* fert fructus oblongos ut *Nendera-Bála*, ſed minùs craſſos, & qui maturi viridi-clari ſunt; *Canìm-Bála* fructus fert multo minores cæteris, qui maturi, coloris ſunt ſubflavi; ejus ſpecies eſt *Schún-dila-Canìm-Bála*, quæ fructus fert valde parvos ac minores cæteris, ac nullos alios flores niſi qui in fructibus inſident, atque adeo ramum totum uſque ad verticem fructibus oneratum: *Calèm-Bála* fert fructus cortice craſſiolo, in quibus ſemina nigra continentur. *Bangála-Bála* flores fert, qui ſunt colore cœruleo-fuſco.


Bála ſpecies communiter intra ſex menſes flores ferunt; *Puam-Bála* autem intra duodecim menſes, fructus poſt quatuor menſes matureſcunt; una arbor unum caulem ex radice edit ac fructu dato & ad maturitatem perducto emoritur, ſtolonibus qui ex ejus radice circumquaque expullulant in arbores excreſcentibus.

FIG. 12. 13. 14.

Neſcio quid *C. Bauhinum* moverit, quod hanc arborem in *Pinace* vocaverit, *Palmam humilem longis latiſque Foliis*, cùm non duntaxat Autores noſtri, ſed & alii teſtes oculati, proceram eſſe, & duorum hominum altitudinem æquare, teſtentur. Forſan *Geſnerus*, qui *Pumilam* vocat, vel *Oviedus*, qui pro loci ratione, *Pumilam proceramve* eſſe aſſerit, huic opinioni anſam præbuit. *Muſa* vel *Muza* vulgo vocatur *Serapionis*, *Mauz Ægyptiis*, *Alpino*, *Muz* & *Gemez Mauritanis*, *Guillandino* teſte: *Pala* quoque vocatur *Plinio*, & *Quelli Bengalenſibus*, nominibus procul dubio, à *Malabarenſium Bala*, & *Bramanum Kely* mutuatis: *A Braſilienſibus*, ubi, *Piſone* teſte, abundè luxuriat, *Banana* & *Pacobuçu* vocatur. Parum autem ſibi conſtat *C. Bauhinus*, dum à ſe invicem disjungit *Muſam*, & *Ficum Indicam Racemoſam* ſive *Banana*, cùm revera una & eadem ſit arbor, licet ratione fructus, aliquot ejus dentur differentiæ, ut pluribus etiam noſtri Autores inculcant.

Arbuſculam quoque tenellam, ſatis tamen vegetam, hoc anno ex *Zeilan* ad nos attulerunt, reduces inde naves, quæ an hyemem feret, dies docebit.

Num porrò ſit *Dudaim* in *Bibliis*, *Uva* quam ex terra benedicta *Moyſi* attulerunt, *Ficus Pharaonis*, vel *Pomum Paradiſi*, judicent alii.



1. Amba-paja. lat.
2. Papája. lat.
mal.
mal.
Arab.
Arab.
bram.
bram.
Fig. 15.

AMBAPAJA.

FIG. 15.


Apája duæ ſunt ſpecies, una *Amba-Paja*, altera *Papajámaram*. Fig.15.

Amba-pája ling. Bram. *Dadùl-Papája*, eſt arbor ad altitudinem quatuor hominum aſſurgens, fruticoſa, naſcens in arenoſis.

Radix rectà ſe demittens, eſtque albicans, conſtans cortice ac carne albicante, humida & pingui ſine ligno, eſtque odoris fortis, oleoſi & grave-olentis, ſaporis quoque pinguis & ingrati.

Stirps ſimplex eſt pedem craſſa, eſtque ad radicem intus ſolida, albicante, humida & pingui carne repleta, ſuperiori parte cava ac diſtinctis interſepimentis carneis pingui-humidis, & albicantibus clauſa, conſtantque cortice denſo, viridi & pingui-humido, qui filamentis minus lignoſis eſt pertextus, ac intus, ubi cava eſt ſtirps, membrana tenui & albicante veſtitus.

Folia cauliculis cavis, viridi-dilutis & albicantibus, ac intus quoque pingui-humidis, qui duos ferme pedes longi ſunt, ac ad ſtirpis interiora interſepimenta erumpunt, & ad originem paulò craſſiores ſunt, inſident, ſuntque laciniata, inciſa in ſeptem lacinias ſeu folia, quæ ſingula anteriùs cuſpidata ſunt, ac cuſpidibus lateralibus eminent contextura tenuia, mollia & lenia, viroris in adverſa fuſci, in recta communis.

Ex petiolo ſeptem *Coſtæ* majores & viridi-dilutæ ad extremos cuſpides cujuſque folii excurrunt, quæ hinc inde coſtulas tranſverſas diffundunt.

Cauliculi novi è ſummitate caudicis ſemper erumpunt, vetuſtioribus, qui in inferiori parte ſtirpis ſunt, deciduis, ac notas albicantes in ejus cortice viridi relinquentibus.

Flores in petiolis tenuioribus, rotundis, tres ſpithamas longis, viridi-dilutis, qui intus corculo ſunt albo, ac in medio tubulo pertuſi, pingui-humidi, ac ſupra ex origine caulium quibus folia inſident oriuntur; plures congregatim ac umbellatim proveniunt, ſuntque albicantes, odoris grati & jucundi, quinque oblongo-rotundorum foliorum in ſtellæ formam expanſorum cum pedunculo viridi-diluto, albicante, calyci parvo, arcto & viridi-fuſco inſidentes: folia craſſiola ſunt & denſæ texturæ ſine venis, in exteriori ſuperficie in uno latere coloris viridi-diluti albicantis ut pedunculus, ac reli-

quo latere in quo etiam exteriùs coloris albicantis ſunt, craſſiora. Ex medio emicat corculum flavum conſtans decem oblongis apicibus qui breviſſimis ſtamunculis ad unguiculos foliorum ſuperiori pedis parti in duabus ſeriebus interiùs affixi & inſerti ſunt.

Gemmæ Florum oblongo-rotundæ, primùm virides, dein ſubflavo-albicantes.

Fructus fert nullos.

Flores fert toto anno.

Tota hæc planta ſeu frutex aut arbor eſt pingui-humida, ejuſque humor qui ex radice vel ſtirpe vel caulibus foliorum ac florum inciſis exſudat, eſt primùm aquei ſubcœrulei & ſubalbicantis coloris ac tranſparens, qui ex attactu aëris confeſtim in unctuoſam, magis albicantem & ſubcœruleam materiam inſpiſſatur.

Aqua quæ ex fl. diſtillatur, odoris eſt pinguis ac moleolentis.

Apud hoſce Medicos non eſt in uſu.



PAPA-

PAPAJAMARAM.

FIG. 15.



Apajámaram, quæ ſecunda ſpecies eſt, *Papája* ling. Bram. *Papája*, arbor minùs excelſa, caudice minùs craſſo, cum priori in floribus differens, ut & quod fructus habet. Fig. 15.

Flores ex quorum medio ſeu orificio fructus erumpunt cum ſuis fructibus parvis petiolis in ſtirpe hinc inde proveniunt, albi ſunt & odoris jucundiſſimi, conſtantes quinque foliis oblongis, quæ anteriora verſus rectis oris in cuſpidem ſe contrahunt, ac rigida, craſſa, & denſa ſunt ſine venis conſpicuis, exteriora verſus cum cuſpide reflexa ac intorta.

Calyx, quo continentur, quinque brevium cuſpidum eſt, qui foliis florum deciſis fructum inferiùs complectitur.

Fructus qui ſinguli ex medio uniuscujuſque floris erumpunt, nullo vel tenuiſſimo ſunt cortice, carne denſa & ſolida ac pingui-humida; cùm immaturi, carne ſunt albicante & ſaporis pinguis ac aſtringentis, exſtillantes humorem aqueum ſubalbicantem & ſubcœruleum, qui inſpiſſatur, ex maturitate carne interiùs flaveſcente, ac ſaporis haud ingrati pingui-dulcis, intus grandi cavitate ac in interiori ſuperficie, quæ in longum quinque rotundis lateribus excurrit, fungoſa carne obducti.

Semina in interiori ſuperficie inter fungoſam carnem numeroſa in quinque ſeriebus conſita ſunt, quæ in medio rotundorum laterum à ſe mutuo interſtinctæ ſunt, ſuntque oſſicula rotunda, angulata, aſpera & nigra, ſingula involuta in propria membrana albicante, ac tranſparente, & nitente, ac parvis & tenuibus umbilicis adhærentia nucleo intus albo.

Fructus, cùm teneri ſunt, & in medio florum conſiti, ſuperiora verſus in cuſpidem contracti ſeu conici ſunt, ac in cuſpide quinque anguſtis, craſſis, ſubflavis foliis, quæ in anteriori parte latiora, & in

cuſpides diviſa ſunt coronati, ac inciſi gemmulis rotundis albicantibus in interiori ſuperficie obſiti ſunt.

Fructus fert toto anno.

Apud hoſce Medicos non eſt in uſu.

FIG. 15.


Hæ arbores quoque duobus in locis, ſeorſim diverſiſque nominibus à *C. Bauhino* proponuntur in *Pinace*.

Primum Libro XI. Sect. V. *Capite de Platano*, hiſce verbis: *Arbor Platani folio fructu Peponis magnitudine eduli, Mamacra ipſa arbor: at fructus Mamaon, ab uberum forte ſimilitudine: Luſitanis in America eſt mas ſterilis, fœmina fructifera, Cluſ. cur. poſt.*


Deinde Libro XII. Sect. I. *Capite de Ficu*, ſequentibus verbis: *Ficuum ſpecie fructus Peruanus, Papaje fructuum genus ficuum ſpecie.*

In utraque India ſatis frequens conſpicitur: à *Boutio* arbor vocatur *Melonifera* ſ. *Papayo*, à *Piſone Pinoguaçu*, qui marem æque ac fœminam fructum ferre refert (ſecus ac *Cluſius*, noſtrique autores ſtatuunt) licet minorem & oblongiorem, falſumque eſſe fœminam non ferre fructum, niſi mas adſtet: quod & confirmat *Rochefortius*.

Fabius Columna ſuis in *Recchium Commentariis*, hujus quoque arboris nomine *Papayo Orientalis* & *Peponis arboreſcentis* mentionem facit, teſtaturque ſe ejus ſemen unà cum accuratiſſimâ Plantæ deſcriptione accepiſſe, à famigeratiſſimo *Petro de Valle*, è duodecimo peregrinationis ſuæ anno reduce: Nobis etiam ex Occidentali India quandoque fuit transmiſſum, & feliciter germinavit, verùm hyemalis culturæ impatiens, & frigoris exoſa, nunquam perennavit.



ILII.


Ischnochloa spinosa Büse
Fig. 16.
Ily. lat.
ഇല്ലി Mal.
Arab.
वारी bram.

I L Y.

FIG. 16.



Ly lingua Bramanum *Vási*, nostra communi *Bambù*, est Arbor nascens in arenosis, in excelsam altitudinem, quæ eam *Tenga* exsuperat, evadens. Fig.16.

Radix ab ipso stipite non multum differens, nisi quod albicans & plurimis radiculis seu fibris sit vestita, ex geniculis, quibus distinctus est, novos oculos seu cauliculos geniculatos emittit, atque hi etiam alios ex quibus tanquam novis radicibus caules plures simul juncti assurgunt, atque ita caules novelli cum suis radiculis avulsi proseminantur; Caules autem rotundi, cortice viridi, duri & geniculati sunt ex geniculis novos ramos surculosque emittentes, atque in ipsis geniculis spinis oblongis, rigidis, acutis, uno vel etiam duobus pluribusve muniti, intus fistulosi fistulis subtilibus.

Stipites, qui ex radice ipsa exsurgunt, ad duorum triumve hominum altitudinem se erigunt, priusquam laterales ramulos seu surculos diffundunt, ac crassitie ferme unius spithamæ evadunt, cùm teneri ac novelli sunt stipites, uti & rami ferme solidi, in medio uno tantùm parvo tubulo pervii, cùm maximè novelli sunt, in medio, ubi tubulus aperitur, nota albicante sunt; cùm vetustiores, intus cavi, & ad geniculos intersepimento lignoso clausi, & interiùs membrana tenui, albicante obducti, constantque lignosis, duris, albicantibus filamentis, cùm teneriores sunt, exteriùs viridi-fusci; cùm vetustiores, ex albo flavi & nitentis coloris, nullo cortice, qui lignosis filamentis interstinctus est, vestiti: Stipites hujus arboris cùm vetustiores sunt, aliquo genere calcis in cavitate obducuntur, quæ usui medico servatur.

Folia, quæ geniculis caulium brevissimis petiolis insident, longa & angusta sunt longitudine unius spithamæ, latitudine quæ ad petiolum maxima est, digitali, versus summitatem sensim stricta, venis in longum striata, & in exteriori parte in medio uno nervo obsita, oris aspera si versus inferiora stringantur, viroris utrinque communis.

Flores in spicis squamosis, qui nodulis caulium congregatim insident, proveniunt, atque ex spicis apertis tenuissimis filamentis dependent, intra quas se deinde recipiunt velut flores spicati oryzæ, suntque deinde in spicis tritico similes, nisi quod minores sunt; sexagesimo anno à satione, ut ferunt, hæc arbor flores fert per unum

ferme menſem proximè ante florum exortum, primùm omnibus foliis ſpoliatur, & poſtquam defloruit, emoritur.

VIRES EJUS.

C*orticis* & *Foliorum* decoctum epotum ſervit ad ſanguinem in corpore ex vulnere retentum expurgandum, confertque etiam puerperis ad materiæ ſanguinolentæ, quæ poſt partum retenta eſt, excretionem. Calx quæ in ſtipitibus vetuſtis creſcit, prodeſt in ſtranguriâ, iiſque qui urinam purulentam mingunt.

FIG. 16.

Arundinem hanc Autores noſtri inter arbores deſcribunt, eodem quo C. *Bauhinus* jure, cui in *Pinace* dicitur, *Arundo arbor:* in qua humor lacteus gignitur, qui *Tabaxir Arabibus* & *Avicennæ Mambu Indorum*, in cujus arundinibus *Tabaxir* ſive ſaccharum, *Mambu Garziæ*. Rectius Dominus *Hermans*, qui Anno 1676. portionem Plantæ ſiccatam, unà cum foliis & flores ex inſulâ *Zeilan* tranſmiſit, *Bauhinianam* denominationem nonnihil immutavit, dum vocat *Arundinem Indicam arboream maximam, cortice ſpinoſo*. Addit porrò quod *Cingalenſibus* vocetur *Nuayhas*, id eſt, arbor febrilis, quia febre corripiuntur ii qui ſe lavant ex aquis, in quas arboris hujus folia decidére. Corruptè vulgò à *Luſitanis* aliiſque vocatur *Bambu* vel *Bamboes*: in Inſula autem *Madagaſcar* præſertimque ejus Provincia *Galemboulou*, teſte Domino *Flacourt*, tanta naſcitur copia, ut regio inde nomen obtinuerit. *Voulu* enim ibidem nuncupatur. Ad quam immenſam autem locis humidis, arenoſis & paludoſis, quibus gaudet, quandoque aſſurgat proceritatem, ex fragmentis, Clariſſimi *Piſonis* munere, in porticu Horti Academici ſuſpenſis, colligere datur: quorum majus viginti octo, minus viginti ſex pedum longitudinem ſuperat. Quin & credibile eſt, haſce arundines, antequam eſſent diffractæ, duplo majorem longitudinem obtinuiſſe, cùm craſſities unius extremitatis, ab alterius vix differat. Admiratione quoque dignum eſt, tam vaſtam arundinum molem, tam exiguis veſtiri foliis, cùm maxima ex ſiccatis, quæ aſſervo, vix ſpithamam longitudine aut tranſverſum digitum latitudine tranſcendat. Arundines hæ inſuper amputatæ, & igne crematæ, fertiliſſimum præbent cinerem, in quo omnis generis conſitæ plantæ feliciter proveniunt: dum autem cremantur, ingentem edunt ſonitum, & fragore centum aliquot ſclopetorum exploſiones æmulantur. Aër enim intra cancellos, internodiorum ope recluſus, dum rarefit, ampliuſque ſpatium deſiderat, parietes quaquaverſum diſrumpit, & vi ſibi exitum quærit.

Quàm varia autem, non minùs ac *Palma Coccifera*, hæc planta humanum in commodum ſuppeditet auxilia, pluribus tradunt Autores, & imprimis *G. Piſo in Mantiſſa Aromatica*, ubi præter accuratiſſimam *Sacar Mambu*, ſive *Tabaxir* deſcriptionem, videre quoque licet, tenellos hujus Arundinis ramos, præſertim radici vicinos, ab Indis condiri, & celebris illius confectionis quæ *Achar* vulgò nuncupatur, & ad appetitum excitandum, ventriculique concoctionem promovendam per Europam diſpergitur, non infimam partem conſtituere.



MALA-


Malacca-Schambu. lat.
Mal.
Arab.
मलाकिआब Bram.

MALACCA SCHAMBU.

FIG. 17.



Chámbu duæ ſpecies, una *Malacca-Schámbu*, altera *Nati-Schámbu*. Fig. 17.

Malácca-Schámbu ling. Bram. ejuſdem nominis; eſt arbor procera ramis denſis & opacis tranſverſum ſparſis.

Radix craſſa eſt, ramos quaquaverſum diffundens, cortice eſt cinericeo, intus rufo, ligno albicante.

Stipes ambitu amplexum unius brachii paululum excedens, cortice cinereo, rami cinereo magis fuſco, ſurculi teneriores virides.

Folia, quæ in ramis bina & bina ac ordine ſe mutuo decuſſantia petiolis viridibus, curtis, craſſis, interiùs planis ſeu latè ſtriatis proveniunt, oblongo-anguſta, rotunda, anteriùs cuſpidata, ad petiolum quoque ſtricta, longitudine maxima unius ſpithamæ, latitudine duorum triumve pollicum, quæ minùs longa evadunt, cæteris latiora, ſuntque textura craſſiola & ſolida ac denſa, ſuperficie glabra, virore in rectâ valde fuſco & nitente, in adversâ virore communi, ſaporis adſtringentis ac nonnihil ſubacidi ſeu vinoſi diutius maſticata, odoris nullius, cùm emarceſcunt, ſunt flaveſcentia ac crocea.

Ex coſta media, quæ in adverſa ſolum eminet, *Nervi* ſubtiles & parum in adverſa eminentes, recta obliquo ac ferme parallelo ductu anteriora verſus exeunt, ac æquali intervallo à margine reflexi in ſe invicem arcuatim incurrunt velut limbulum ad marginem relinquentes, ſuntque in recta parte tractibus ſuis conſpicui ac venulis minutulis, ſubtilibus, intra folium meantibus comitati.

Flores in petiolis ſeu ſurculis viridibus ſpithamam plus minus longis, qui ſupra ex origine foliorum oriuntur plures congregatim, tres, quatuor, quinqueve parvis ac ſemidigitalibus, rotundis, craſſiolis & viridibus pedunculis proveniunt, conſtantes quatuor foliis ex viridi albicantibus, oblongo-rotundis, interiùs cochleatis, rigidis à ſe mutuo latiuſculè diſtantibus, quæ exteriùs magis viridia ſunt, & in oris ſuperioribus interiùs & exteriùs magis albicant, & venulis annularibus verſus oppoſitas oras in longum ſtriata ſunt, ſuntque ad unguiculos foliorum ornati denſo penicillo confertorum, longiuſculorum, candidorum ſtaminum, quæ ex ora quadrata orificii medii cancelliformis lati & cavi ſe exſerunt, & in vertice apicibus ſeu nodulis ex albicanti flaveſcentibus dotata ſunt, & in medio penicilli ſtaminum ſtylo albicante craſſiolo, ſurrecto & in apicem deſinente, qui ex medio orificii ſeu umbilici exſurgit.

Calyx eſt quatuor brevium lato-rotundorum ac interiora verſus quoque cochleatorum & magis viridium foliorum, quæ ſingula inter duo florum folia exteriùs conſident, ejuſque pes craſſus verſus inferiora ſe in conum ſtringens, & nonnihil ex viridi albicans, ac à reliquo petiolo florum, qui viridi-fuſcus eſt, nodulo diſtinctus, eſtque ipſum primordium fructus, ac magis & magis extuberans & turgeſcens. Sunt autem flores odore nullo cùm in ſuo vigore ſunt, ac vivido colore, ubi autem flaveſcunt ac emarceſcunt, quo tempore ex albicante flaveſcunt, acido ſeu vinoſo ſunt odore.

Fructus ſunt minores illis ſecundæ ſpeciei, forma rotundi, primùm virides, cùm ad maturitatem accedunt, ex albicante ſubflavi, probè autem maturiores magis flaveſcentes, in vertice, umbilico ſeu orificio quadrato florum clauſi, & quatuor foliis calycis viridibus ad ſe mutuo contractis & nonnihil ſurrectis coronati, conſtantque exteriùs corticula ſeu membrana tenuiſſimâ, carne humida, intus magis albicante, lata cavitate in medio, ac ad interiorem carnis ſuperficiem filamentis nonnullis fungoſis & albicantibus obducti, ſuntque ſaporis dulcis & grati, ac odoris roſacei valdè amœni, quem etiam in ſapore exſpirant atque exhibent; in medio cavitatis nucleus eſt rotundus, cavitate minor, laxus, & liber, ac nutans, qui cortice exteriùs eſt rufo ac ſpadiceo-diluto, interiùs denſa ac viridi-diluta pulpa, quæ ſaporis eſt ſubamari & adſtringentis, ac vel ſimplex eſt, vel in duos tresve minores nucleos angulatos reſolvitur.

VIRES EJUS.

Ejus Decoctum in aqua ſervit pro fiſſuris oris ſi cum eo abluatur.

FIG. 17.

Qui à C. *Bauhino* dicitur *Perſici oſſiculo fructus Malaccenſis*, idem eſt cum fructu arboris hîc deſcriptæ; quæ à *Canarinis Iamboli*, à *Luſitanis Iambeiro*, ab *Arabibus Tupha Indi*, à *Perſis Tuphat*, à Turcis *Alma*, *Chriſtophoro à Coſta* teſte nuncupatur. Ex *Malacca* piperifera, ut refert Clariſſimus *Piſo*, in diſſitas quaſque regiones, ob florum fragrantiam, & fructus ſuavitatem, tranſlata fuit hæc arbor, imprimiſque ob perpetuam florum & fructuum viciſſitudinem: quod alterâ arboris medietate, frondibus & fructibus orbâ, altera pars fructibus maturis & immaturis tamdiu oneretur ac ornetur, donec frondes recuperaverit.

Flores & fructus ex ejuſdem relatu, frigidæ ſunt & humidæ qualitatis, inſigniter fragrantes, ac proinde inter primas delicias omnibus pariter incolis habiti.

Plurimi quoque uſus paſſim in Medicinâ exiſtunt: fructus enim crudi, & flores ſaccharo conditi, ab ægris æſtuantibus cum ſucceſſu uſurpantur, quod ſuccoſa frigiditate, ſitim in febribus extinguant, ſpirituſque vitales confortent.

NATI-



Fig. 18.
Nâti-Schambu. lat.
Mal.
Arab.
bram.

NATI-SCHAMBU.

Eugenia malaccensis L. sp. 672

FIG. 18.



Ati-Schámbu, quæ altera ſpecies *Iambu* eſt, ling. Bram. *Schambu*, arbor quoque excelſa. Fig.18.

Radix craſſa, ramos quaquaverſum diffundens, cortice albicante, ac cinerea corticula, quæ facile in ſquamas deteritur, obducto, qui ſaporis eſt adſtringentis, ligno intus albicante.

Caudex ambitu unius hominis amplexum implens, cortice exteriùs ſcabro ruffo-virideſcente ac molli, intus albicante, qui adſtringentis, acidi vinoſique ſaporis eſt.

Folia, quæ in petiolis craſſioribus curtis bina & bina proveniunt, grandiora ſunt illis primæ ſpeciei, forma ad latitudinem minus oblonga, contextura quoque denſa, ſolida ac craſſiola, ſuperficie quoque plana & glabra, viroris in recta fuſci & nitentis, in adverſa clari, ſaporis adſtringentis & magis acidi ſeu vinoſi, odoris quoque parum acidi, cùm marceſcunt, flavo quoque colore tinguntur.

Flores forma iidem & penicillo ſtaminum breviori, ſuntque folia cum ſtylo, ut & penicillo ſtaminum, quæ apicibus ſuis flavis ſeu ſubrufis dotata ſunt, pupureo-rubro nitentis pulcherrimi ac vividi coloris, primùm odoris nullius, dein cum marceſcunt, parùm acidi.

Calyx quoque quatuor viridium interiùs cochleato-cavorum foliorum.

Fructus, qui quoque ex calyce exoriuntur, majores ſunt illis primæ ſpeciei, forma oblongo-rotundi & ad petiolum ſtrictiores, in vertice quoque umbilico florum clauſi & foliis calycis viridibus ad ſe invicem contractis coronati, ſuntque primùm virides, dein ex viridi albicantes, poſt virore evanido albicantes, cùm maturi, ad unam partem candidi, ad aliam rubeſcentes, ac inter candidum colorem ſtriis

rubris perfusi, cortice quoque tenuissimo & carne alba ac succulenta, in medio etiam lata cavitate, & in superficie interiori carnis fungosis, albis & exsuccis filamentis obducti, saporis sunt vinosi & pergrati, ut & odoris; intus nucleus est grandis cavitatem fructus implens, qui quoque cortice exteriori rufo & spadiceo, interiùs densa ac viridi-diluta pulpa, quæ saporis quoque est subamari & adstringentis, constat.

Bis in anno fert fructus.

VIRES EJUS.

Cortex ejus tritus & in lacte acido epotus dysenteriam sistit.

FIG. 18.

Hæc præcedentis atboris altera est species: præter enim Autores nostros, plures dari, testantur *Piso*, *Acosta*, & *Paludanus*. Peculiaris autem, & à nullo, quod sciam, descriptæ, ramum siccatum fructibus immaturis onustam, unà cum seminibus, ex insula Zeilan, hoc anno transmisit, jam sæpius laudatus Dominus *Hermans*. Vocata hæc fuit ab ipso *Iambos Sylvatica*, fructu cerasi magnitudine, *Walgambu Cingalensium*: obtinetque folium, *Iambos* majoris folio non multum dissimile, fructus autem cerasi magnitudine, uvæ in modum, racematim cohærentes, quorum vertex cingitur tribus foliis bifidis, coronam quasi constituentibus.



CHAM-


Champacam: lat.
ചെമ്പകം. mal.
چیامْبَجا غجامْ Arab.
चापा bram.

ÇHAMPACAM.

FIG. 19.



CHampacam lingua Bram. Çhampò, eſt arbor procera denſis frondibus latè ſparſis, naſcens in arenoſis. Fig. 19.

Radix ruffo cortice qui ſaporis eſt amari & peracris.

Caudex unius hominis amplexum ambitu implens, cortice craſſo, exteriùs cinereo, intus molli, ſub exteriori corticula virideſcente & ex albo flaveſcente, qui ſaporis eſt amari, & ſubacris, ligno albicante.

Surculi rotundi, cinericei, ac ſub exteriori cuticulâ virides, in apice ubi novello germine expullulant, ſpadicei coloris: ſuntque caudex, rami ac ſurculi cortice quoque adſtringente.

Folia quæ hinc inde in ſurculis petiolis uncialibus, interiùs ſtriatis, in inferiori parte nonnihil extuberantibus proveniunt & paſſim novello germine ſurculorum qui ſupra eorum exortum prorumpunt, comitata, oblongo-rotunda, anteriùs in cuſpidem oblongam anguſtam contracta, ſpithamam & amplius longa, latitudine quatuor quinqueve pollicum contextura duriola, ſuperficie plana & lenia, viroris in recta fuſci & nitentis, in adverſa clari: ſaporis amari & acris.

Ex coſta media, quæ craſſa eſt, & in adverſa altè eminens, ac tenuiter in recta *Coſtæ* obliquo & parallelo ductu anteriora verſus exeunt, ac à margine reflexæ arcuatim in ſe invicem incurrunt, venulas nonnullas tranſverſas ex ſe diſtribuentes, ac in adverſa ſolùm parte eminentes, & in recta veſtigia tractuum exprimentes; ad exortum foliorum cortex ſurculorum tenui fiſſura, quæ obliquo ambitu eſt, hiat, ac per eam cortex inferior qui magis extuberans eſt, à ſuperiori cortice interſtinguitur, ſuntque folia cum ſuis petiolis ex ſuperiori parte fiſſuræ prodeuntia.

Flores, qui in ſummitate ſurculorum ſupra ex origine foliorum craſſis, ſubflavo-viridibus, lenibus, ſurrectis ac ſeſquiuncialibus petiolis proveniunt, ſunt acuti ac fragrantis odoris, conſtantque foliis oblongo-anguſtis, quæ in triplici ordine poſita ſunt, quorum quæ in exteriori ordine ſunt, octo plus minus lâtitudine ferme tripla iis, quæ in ſecundo interiori ordine etiam octo plus minus ſunt, ac verſus ſummitatem rotundiola & nonnihil cuſpidata, quæ in ſecundo ordine magis cuſpidata, quæ in tertio ordine parvula, brevia, verſus ſummitatem maxime cuſpidata, flavo-diluta, ac velut ſtamina craſſiola, inferius circumambientia ſtylum craſſum, qui in medio pe-

N dun-

dunculo rotundo exſurgit, ac ſuperiora verſus nonnihil conicus eſt, & ſpicis, parvis, viridibus, craſſiolis, cuſpidatis ſcutellatim circumdatus; ſuntque ſpicæ in cuſpide, quo inferiora verſus inflexæ, rubeſcentes ac rudimentum fructûs continentes: floribus quoque ſapor adſtringens & acris eſt.

* *Fructus*, qui ſpicatim ſeu racematim craſſo petiolo medio viridi, ac tortuoſo pedunculis craſſis, & curtis circumſident, ſunt oblongo-rotundi, magis minuſve gibboſi, cortice craſſiolo, primùm viridi; cùm maturi, flavo-diluto albicante ſapore peracri, odore minùs grato.

Semina, quæ intus continentur ſe invicem proxime ſine ullo interſepimento contingunt, ſuntque uno latere rotundo ad fructûs formam accommodata, reliquis planis tribus quatuorve pro ratione mutui contactus: conſtantque, cùm matura, pulpâ tenui, humidâ, ſublacteâ, quæ membranâ incarnato-rubra eſt inveſtita, intus oſſe grandiuſculo nigro.

Flores bis fert in anno, fructus non dat niſi cùm vetuſtior eſt.

Ex fl. aqua odorif. quæ eorum odorem ſpirat, diſtillatur.

VIRES EJUS.

R*Adix* & cortex ſiccus tritus & mixtus cum lacte ſpiſſo dicto *Tayr* apoſtematibus aperiendis & maturandis ſerviunt in forma emplaſtri appoſiti; *Cortex Radicis* in pulvere cum aqua calida datus menſtruis in mulieribus excitandis ſervit, fœtumque in gravidis expellit, ſi largiùs ac copioſiùs ſumatur: *Flores* triti & cum oleo decocti, pro doloribus capitis, oculorum affectionibus, ut & in podagra ſerviunt facta capitis unctione. *Aqua ex Floribus diſtillata*, præcordiis exhilarandis commoda eſt; *Oleum*, in quo *Flores* per quadraginta dies inſolati ſunt, in capitis perunctione ejus doloribus ac animi deliquio prodeſt; *Oleum Fructuum* flatus pellit, ſi cum eo corpus ungatur.

FIG. 19.

Nominis affinitas, florum gratiſſimus odor, aliæque quæ huic Plantæ ab Autoribus adſcribuntur circumſtantiæ, non difficulter mihi perſuadent, eandem eſſe cum ea, quæ à *Boutio* Cap. 45. deſcribitur, licet fatear ejuſdem deſcriptionem obſcuram eſſe, mutilam, quin & forſan vitioſam: quod primâ fronte liquebit, ſi quis eandem cum figura diligentius conferat. An autem eadem ſit cum *Champe C. Bauhini*, de qua in *Pinace* inquit: *Champe dicuntur alii flores, quorum etiam magnus apud Indos uſus eſt, odore graviori, quàm lilium. Garz. Fragos.* pronuntiare vix auſus ſum.

ELEN-


Fig. 20.
Elengi. lat.
എലഞ്ഞി Mal.
Arab.
ववळ bram.

ELENGI.

FIG. 20.



Léngi lingua Bramanum *Vaválli*, eſt arbor procera frondibus denſis & opacis latè ſparſis, naſciturque in arenoſis. Fig.20.

Radix craſſa & altè ſe in terram figens, ramoſque ſubtus & ſuper terram transverſum latè dimittens, cortice lacteo, ac ſub cruſta exteriore fuſco-rubeſcente.

Caudex duûm hominum amplexum ambitu ut plurimum implens: cortice craſſo exteriùs fuſco & ſcabro, interiùs lacteo ubere ſpiſſo, & glutinoſo, fiſſili, ac ubi finditur, colore flavo & rubeſcente vividè variegato, interiori ſuperficie ex albo-rubeſcente; ligno eſt quoque lacteo, fiſſili, gravi, in aquis ſummè durabili, extra aquas putredini facilè obnoxio.

Folia, quæ hinc inde in parvis viridibus, rotundis ac interiùs ſtriatis petiolis proveniunt, ſunt oblongo-rotunda, ad petiolum rotundis oris, anteriùs brevi cuſpide, qui verſus exteriora reflectitur, craſſiola ac ſolidæ texturæ, ſuperficie plana, ac in recta parte virore fuſco & nitente glabritie, in adverſa claro & minùs nitente, lateribus interiora verſus nonnihil clauſis, odore uti folia pyrorum noſtrarum.

Ex *Coſta* in recta etiam parte eminente *Venæ* transverſæ, ſubtiles, ac denſæ excurrunt, quæ folium ſubeunt, ſuntque utrinque conſpicuæ.

Flores proveniunt paſſim ex origine foliorum etiam quinque, ſexve congregatim petiolis pollicaribus ex viridi-flaveſcentibus, ſuntque albicantes, & dein ex albicante flaveſcentes ſeu ex flavo fuſceſcentes, forma ſtellæ ſedecim foliorum oblongo-anguſtorum & cuſpidatorum, quorum duo & duo arctiùs juncta ſunt, odore jucundo & fragranti. In medio corculum craſſum & conicum eſt, quod octo albis ſurrectis foliis eſt circumdatum, conſtans octo ſtaminibus ſurrectis, curtis, craſſis, albicantibus & piloſis, quæ verſus ſummitatem in cuſpidem ſtricta & flava ſunt, ac circumpoſita capitulo albicanti-ſubflavo, quod germen fructus eſt, ex quo ſtylus viridi-dilutus & albicans emicat.

Calyx eſt octo oblongo-anguſtorum, cuſpidatorum, ſtelli-formiter expanſorum foliorum, quorum quatuor exteriùs flaveſcentia ac muſcoſa ſunt, quatuor quæ inter ea ſe intergerunt, exteriùs albi-

cantia: ſingula folia calycis folia duo florum, quæ arctiùs juncta ſunt, ſubcingunt.

Gemmæ Florum conicæ ſunt & muſcoſi coloris.

Ex *Floribus Serta* ſeu *Coralla* efformant.

Fructus, qui ſuo calyce inferius comprehenſi, ſunt oblongo-rotundi ac inſtar olivarum, primùm virides, dein flavi ac rubeſcentes, carne ſub cortice flava & farinacea: ſuntque in eduliis.

Intus paſſim unum ac etiam duo grandiuſcula *Oſſicula*, quæ oblongo-rotunda, nonnihil plana, & ſpadiceo-fuſci ac nitentis coloris ſunt, continentur.

Bis in anno hæc arbor dat *Flores*. Ex *Floribus aquam ſtillatitiam* indigenæ eliciunt, quæ odorifera eſt.

VIRES EJUS.

R*Adix* trita cum aceto tumorem in facie tollit, parte affectâ cum eo linita, eadem cum *Aqua* eod. modo ſumpta ſervit pro oris puſtulis. *Corticis Decoctum* ſervit pro angina, uti & dolore dentium, gutture ſeu ore cum eo abluto. *Aqua diſtillata ex Floribus* & epota proficua eſt pro melancholicis & febricitantibus; gravidis in difficili partu *Fructus* triti in aqua calida commodè dantur.

FIG. 20.

Cum hujus plantæ ne veſtigium quidem apud alios invenerim, vocandam cenſeo, *Oleæ-affinem Pyrifolio Malabaricam, flore odorifero ſtellato.* Neutiquam autem confundi debet cum *Vaſaveli Bramanum*, ſive *Pavate Acoſtæ*, de qua arbore vide ejuſdem *Aromat. Hiſtoriam.* Cap. 14.



MAN-

Manjapumeram. lat.

മഞ്ഞപ്പൂമരം. mal.

مَا جَحُوْ مَغْرَمْ Arab.

पारिजातकु bram.



MANJAPUMERAM.

FIG. 21.



Anjapumeram ling. Bram. *Pariàtacù* eſt arbor grandis trium quatuorve hominum altitudine, denſis & opacis frondibus latè ſparſis, naſcens in arenoſis. Fig. 21.

Radix ramos ſubtus & ſuper terram transverſos ſpargens.

Stipes ambitu amplexum unius brachii æquat, cortice cinereo.

Surculi quadrangulares ac nodulati, ſpadiceo cortice, qui interiùs eſt viridis, obducti.

Folia in nodulis brevibus, craſſiolis, viridi-albicantibus petiolis bina ac ſe mutuo in ordine decuſſantia proveniunt, ſuntque ad petiolum lata curvitate, & anteriora verſus in cuſpidem anguſtum contracta, contextura craſſa, ſuperficie aſpera, virore in recta fuſco & nitente, in adverſa autem claro, ſapore adſtringente & ſubamaro.

Ex *Coſta* media in adverſa parte *Coſtæ* hinc inde excurrunt, quæ rectam tractibus ſtriant in ſe invicem arcuatis ductibus propè ad marginem incurrentes.

Flores proveniunt in petiolis rigidis ac ſuperiora verſus obliquè ſurrectis, qui bini & bini in adverſis partibus ſupra ex origine foliorum erumpunt ac ſinguli paſſim in tres minores ramulos curtos, breveſque mutuo dividuntur, ſuntque in ſingulis petioli ramis quini congregatim inſidentes, odore dulci & delectabili optimum mel æmulante, interiùs & exteriùs albicante & aqueo colore, ſex, ſeptem, octo foliis conſtantes, ſuntque folia ad petiolum ſtrictiora, verſus ſummitatem lateribus rectis dilatata, atque duabus laciniis brevibus excurrentia, ac anteriùs inter lacinias ſinuata, & exteriorem verſus partem oris rigidè inflexa, contextura tenuia ac rigida, in ſole valde coruſcantia, venulis vix conſpicuis, niſi in parte ubi colore albicante attrito membranaceæ ſunt pelluciditatis.

Sunt autem *Pediculi Florum*, quibus ex calyce oblongo, profundo,

viridi ac qui rotunda supernè ora est, emicant vaginulæ breves, semiunciales, crocei, aureique coloris, in hisce duo stamina flava, quæ apicibus surrectis, crassis & flavo-albicantibus dotata, sunt inserta; pediculi florum siccati croceum odorem recipiunt, iisque indigenæ cum ligno sandali mixtis atque tritis corpus inungunt.

Fructus sunt rotundo-plani ac compressi, colore viridi, in medio una sutura extuberante ad verticem utrinque perducti.

In iis duo rotunda compressa *Semina*, quæ utrinque sub cortice extuberant intersepimento medio à se mutuo distincta.

Apud hosce Medicos non est in usu.

FIG. 21.

Diu anceps hæsi, an eadem foret hæc arbor, cum *Arbore tristi folio Myrti C. Bauhini.* Arrisit *Bramanum Pariatacù*, quod cum *Canarensium Parizataco* non malè convenire videbatur: tum etiam *Clusii* descriptio, ex *Fabricii* relatu deprompta: præsertim cùm ea quæ de florum pediculis, colore, odore, & usu reliqui addunt Autores, non inconcinnè cum nostrorum descriptione conveniant. Obstat tamen defluxus florum *Arboris tristis* de die, cujus nulla hic fit mentio: Verum cum *Fabricio* & *Paludano* testibus, illud eos duntaxat concernat flores, ad quos solares radii pertingere possunt, minoris facienda videtur hæc difficultas. Interim mihi vix satisfacio, aliorumque judicio subscribo.



CON-


Fig. 22.
Cónna. lat.
കൊന്ന mal.
Arab.
बायो bram.

CONNA.

FIG. 22.



Onna, lingua Bramanum *Bajo* eſt arbor procera, unius hominis altitudine, ramis denſis & opacis latè ſparſis. Fig.22.

Radix cortice fuſco ramos transverſos ſpargens.

Caudex ambitu amplexum unius hominis excedens, cortice cinereo, ut & ſurculi vetuſtiores, novelli, virides; cortex adſtringens & ſubamarus.

Folia in ſurculis teneris, viridibus, petiolis brevibus, rotundis, ferme bina & bina cum uno in vertice proveniunt, ſuntque oblonga ad petiolum lata curvitate, inde anteriùs ad cuſpidem ſtricta, mediocri craſſitie, mollia, denſa, ſuperficie lenia, glabra & plana.

Ex *Coſta* media, quæ in adverſa parte eminet nervulis ſubtiliſſimis, inter quos venularum contextus cancelliformes minutiſſimi intercurrunt, ſtriata, viroris viridis & nitentis in recta, in adverſa clarioris & ſurdi, ſapore ſubdulci & ſubamaro.

Flores in ſurculis viridibus, rotundis, duas ſpithamas longis, qui ſupra ex origine ſurculorum foliaceorum erumpunt, proveniunt petiolis longiuſculis, triuncialibus, tenuibus, rotundis, viridibus hinc inde appendentes; ſunt autem flores flavi quinque foliorum oblongo-rotundorum & nonnihil criſpatorum, quæ inferiùs anguſtis unguiculis ſunt, ac ex vena media latiore venis obliquis ſunt ſtriata, tria ad unam partem ſunt minora, quæ ex adverſo, paulo majora.

Stamina in medio decem, tria majora flava, incurvata & lata, cum grandibus apicibus ſeu lingulis flavo-fuſcis, inflexa verſus tria folia minora, ſeptem minora flava cum grandibus apicibus ſeu ſemibifidis flavo-fuſcis linguis verſus duo folia majora inflexa; ex medio longum ſiliquarum viride germen prodit, verum non ex omnibus floribus.

Calyx quinque viridi-dilutorum cuſpidatorum foliorum.

Siliquæ, quæ floribus deciduis ſuccedunt, ſunt oblongæ, rotundæ, rectæ fiſtulæ ſeu cannæ dictæ, Caſſiæ fiſtulæ, duas ſpithamas & amplius longæ, cortice exteriori viridi, interiori albicante, & lignoſo, ſeu potius cartilaginoſo, duro conſtantes, interius diſtinctæ in ſua loculamenta per orbiculos cartilaginoſos, rotundos, tranſverſos ac parallelos, qui cortici interiori affixi & in medio recta fiſſura ad eandem corticis partem ſtriati; intus in hiſce cannis orbiculi cartilaginoſi pulpa ſubdulci, quæ primùm albicans, dein flaveſcens, poſt

Q rubro-

rubro-nigricans, obducti ſunt; in pulpâ *Fabæ* involutæ ſunt, quæ forma oblongo-rotundæ ſunt adjacentes orbiculis cartilaginoſis ex inferiori parte & cum ſua longitudine reſpondentes longitudini fiſſuræ.

Fabæ teneræ, cortice albicante & candido ſunt, intus pulpa viridi-ſubacida, quæ carne pellucida & nervoſa circumdata eſt, ſaporis nullius niſi ſylveſtris; cùm maturæ ac ſiccæ ſunt, duro rubro-fuſco cortice obductæ.

VIRES EJUS.

CORtex & *Folia* contrita ac mixta cum oleo conducunt in perunctione partis affectæ puſtulis. *Fabæ* in *Decocto* datæ ventrem laxant ac purgant per inferiora. *Earum farina* uſurpatur pro cataplaſmate.

FIG. 22.

Exhibetur hic ab Autoribus noſtris *Caſſia Fiſtula Alexandrina C. Bauhini*: quæ cum naſcatur variis in regionibus, varia inde ſortitur nomina. In *Ægypto*, unde copioſè quaquaverſum differuntur *Fiſtulæ*, *Alpino* & *Paludano* teſtibus, vocatur *Chaiarxamber*, in *Braſilia Tapyracoaynána*, in *Mexico Guaubayohuatli*, *Canarinis Haſanguia* & *Baraſenga*, *Guzuratenſibus Gramala*, *Arabibus Gazatfalus*, *Malabarenſibus* juxta Autores noſtros *Conna*, & ex *Acoſtæ* teſtimonio *Condaca*, *Bramanis Bajo*, vel ut alii volunt, *Bahoo* & *Bava*, in *Zeilan* ubi copioſè creſcit, à *Cingalenſibus* vocatur *Æbæla*. Circa floris deſcriptionem nonnihil variant Autores, dum alii incarnatos, alii aureos, alii flavos deſcribunt, ut & illi ſunt, quos hoc anno ex *Zeilan* accepi, perreptantibus pluribus venuli purpureis.

Hiſce in regionibus, ſemen terræ mandatum, ad pedalem quandoque excreſcit altitudinem, verùm ingruente hyeme, omnem reſpuit culturam, & emoritur, ut non ſemel ſum expertus.

Præter autem hanc *Caſſiam vulgarem*, & *Braſilianam* à *Lobelio* in *Pharmacopœia Rondeletii* reſtituta exhibitam, alia quoque datur, à nullo Botanicorum hactenus deſcripta, quam *Caſſiam Americanam Fabaceam* nominare lubuit: Siliquarum enim loco fabas longiuſculas & vulgaribus non diſſimiles profert, quibus continetur *Pulpa* ejuſdem ferme cum vulgari ſaporis & efficaciæ: ipſa arbor *Radice* nititur craſſa, rotunda, quæ in plurima filamenta cortice nigricante obducta deſinit: *Caudex* cinerei eſt coloris, ſcaber, ſubſtantiæque medulloſæ, quem *Ramuli* inordinatè ambiunt, foliis veſtiti ſubrotundis, ex glauco viridibus, breviſſimiſque pediculis donatis: *Flores* videre non contigit: *Semen* quòd pulpæ involvitur, ſubrotundum eſt, compreſſum, & nigricans, piſi minoris magnitudine, ex *Americæ Inſulis*, quas Galli *les Antilles* vocant, allatum.

B A-

Fig. 23



BALAM-PULLI
seu MADERAM-PULLI.

FIG. 23.



Alàm-Pulli seu *Maderàm-Pulli* ling. Bramanum Sinza.... est arbor grandis ramis densis in latum diffusis. Fig. 23.

Radix crassa brachia latè diffundens cortice rubescente.

Stipes crassus ambitu duorum hominum amplexum æquans cortice crasso sub crusta nigricante & cinerea-rubescente uti & rami vetustiores. Folia in petiolis seu surculis tenuibus, viridibus, interiùs sulco striatis, nondum spithamam longis, qui ad exortum viridi-diluto tuberculo parum turgescunt, bina & bina in duabus seriebus proveniunt, iisque insident cum anteriori parte nonnihil versus summitatem petiolorum conversa, & petiolos cum suis superficiebus obliquè secantia; suntque folia parva, oblongo-angusta pollicari ferme longitudine, latitudine ferme semidigitali & ubivis uniformia, nisi quod ad posticam partem paulò latiora quàm anteriora versus, anteriori ora rotunda, contextura nonnihil tenuia & solida, superficie plana, viroris fusci, in adversa dilutioris, saporis acidi, in adversa parte in medio nervus parum eminens, atque ex eo venulæ subtilissimæ in se invicem incurrentes exeunt in adversa tantùm conspicuæ.

Flores qui congregatim octo, decem, plus minus in petiolis viridibus, qui ex origine petiolorum seu surculorum foliaceorum oriuntur, proveniunt, constant septem foliis colore differentibus, cum quibus calyci crassiolo & rotundo insident, ac odoris nullius; ex foliis quatuor quæ exteriùs sita sunt colore in totum candido, postmodum parum subflavescentia, suntque oblonga, anteriùs cuspidata, tenuia, nullis venulis striata, tria quæ supra ex horum foliorum unguiculis ad unam partem prodeunt ac interiùs sita sunt, anteriora versus magis rotundiola, in oris tenuiter crispata, & inter colorem album qui etiam in adultioribus subflavescit, venis rubris variegata, suntque eorum duo reliquis majora puta longiora & latiora, atque tertium inter illa duo intermedium surrectum est & minusculum ac anterius cuspide parvo subflavo eminens, orisque interiora versus contractis seu cochleato-cavum.

E medio stamina viridia exsurgunt tria incurva quæ prius iu unum juncta sunt, post divaricantur respicientia folium surrectum, duo

horum exteriora excepto intermedio apicibus dotata ſunt, qui primùm flavi, poſtea cùm folia ſubflaveſcunt, rubro-fuſci coloris.

Cum hiſce ſimul emicat unus ſtylus viridis incurvis ſtaminibus craſſior inter ſtamina & folium ſurrectum prodiens, qui ſiliquoſum germen eſt.

Gemmæ Florum rotundiolæ ſunt, in una parte planæ, in altera magis convexæ, primùm rubro-ſaturæ, dein cùm rotundo-oblongiores fiunt, colore viridi-albeſcente.

Fructus, qui in lignoſis ac craſſiuſculis petiolis ramis appendent, ſunt ſiliquæ oblongæ, craſſæ, in glandulas tres quatuorve extuberantes, conſtantes cortice craſſiolo qui exteriùs eſt rufi ſeu muſcoſi coloris, intus viridis & carne intus acerba, quæ primùm humida, duriola & albicans ac ſubviridis eſt, cùm maturi ſunt, mollis & flavo-ſeu rubro-fuſca, ſuntque ad corticem ex petiolo lignoſis filamentis ſed raris per carnem in longum pertexti & ſub carne in membranacea loculamenta in quibus fabæ conſitæ ſunt, diſtincti.

Fabæ quadratæ & planæ, primùm cùm immaturæ ſunt, cortice viridi-diluto & nitente, intus ſub cortice pulpa ſunt alba, candida, denſa ſeu ſolida, ſapore, cùm teneræ ſunt, adſtringente & corticis amari, maturis ſiliquis in oſſeam duritiem cortice rubro-fuſco evadunt.

Flores hæc arbor ſemel in anno dat in Novembri.

VIRES EJUS.

IN Febribus ardentibus, malignis & peſtilentialibus confert, ad quod ſæpe cum ſaccharo condita datur, ab indigenis creberrimè uſurpatur in medicamentis purgativis præcipuè tempore æſtivo, ut & maximè ubi bilis flava redundans ac ſe per corpus undique diffundens, ſanguinis ebullitio, ſitis infeſta, morbi cutanei & præſertim morbus regius graſſantur, in quibus malis ſimplex medicamentum ex caſſia fiſtula cum tamarindo unà cum ſaccharo vulgo dicto Jagra de Cana datur, quod leniter alvum laxat ac purgat. *Cortex* tritus & cum aqua oryzæ in unctionem corporis permixtus humoribus ſuperfluis diſſipandis confert.

FIG. 23.

Arbor hîc deſcripta eſt *Siliqua Arabica*, quæ *Tamarindus C. Bauhini*: *Tamar* ſive *Dactylus Indorum*, *Palmula Indica* & *Dereſilde* Arabum. Braſilienſibus, *Piſone* teſte, *Iutay*, Guzurattenſibus *Ambuli*, Canerinis & Malabarenſibus juxta *Acoſtam*, *Chincha* & *Puli*: Madagaraſcenſibus *Monte* dicitur. *Folia* Sole occidente eodem modo ut in *Acaciis*, aliiſque ſeſe contrahere ſolent, eoque oriente aperire, ut & in plantis apud nos natis, ſed quæ nunquam perennârunt, non ſemel experti ſumus: quod autem & ipſe fructus ſive ſiliqua, frigoris vitandi cauſâ, foliis ſeſe involvat, fabulam redolet. Qui plura autem de hiſce velit, jam citatos adeat autores, & imprimis *Alpinum* de plantis Ægypti.


Coddam-pulli. lat.
കൊടംപുളി mal.
Arab
दाराबो bram.

CODDAM-PULLI.

FIG. 24.


Oddàm-Pulli seu Otà-Pulli, ling. Bram. Dàrambò, eſt arbor procera, naſcens in arenoſis, denſis & opacis frondibus latè ſparſis. Fig. 24.

Radix craſſa brachia ſeu ramos ſubtus ac ſuper terram latè diffundens, cortice albicante-ſubflavo, qui cruſta nigricante obductus eſt, & ſub eâ rubeſcit, ligno albicante & ſubflavo inciſa perviſcoſum humorem qui ſaporis eſt nullius, exudans.

Caudex ambitu duorum hominum amplexum implens, cortice quoque eodem ut *Radix*, ligno albicante.

Folia in ſurculis bina & bina petiolis brevibus, viridibus, interiùs planis proveniunt. Suntque oblongo-rotunda, anteriora verſus in cuſpidem anguſtam, quæ verſus unam partem nonnihil inflexa eſt, contracta, ad petiolum quoque ſtricta, cum oris verſus exteriora nonnihil inflexa, ſuntque contextura craſſa, ſpiſſa & ſolida, viroris in recta fuſci & nitentis, in adverſa clari.

Ex *Coſta* media quæ in adverſa altè extuberat & tenuiter in recta, venulæ procedunt obliquè anteriora verſus quæ folium ſubeunt, & in adverſa parte ſub exteriore folii cuticula tenuiter prominent; præter eas nullæ aliæ venæ ſunt conſpicuæ; foliis ſapor eſt acidus.

Flores in vertice ſurculorum foliaceorum breviſſimis pedunculis inſident, ſuntque incarnati ſeu roſaceo-ſaturi & flaveſcentes, conſtantes quatuor foliis rotundis, parùm oblongis & verſus interiora cochleato-cavis, ſuntque folia craſſa & denſa ſine venis intus magis flaveſcentia & exteriùs ad oras; in medio florum emicat globulus viridis rudimentum fructus in octo latera oblonga per ſtrias diſtinctus, in vertice, capitulo ſeu umbilico, quod ex gemmis albicantibus conſtat, quæ velut ad eandem orbitam extenduntur, obſitus, eſtque circumdatus ſtaminibus ſurrectis albicantibus, quæ in vertice flavo-rubris nodulis dotata ſunt; flores odoris nullius & ſaporis ſubacidi.

Calyx eſt quatuor viridi-dilutorum flaveſcentium, cochleato-cavorum foliorum.

Fructus, qui uncialibus petiolis appendent, grandes ſunt, rotundi octo, novem, decemve coſtulis extuberantes, ac in vertice capitulo parvo, quod etiam coſtulis ſtriatum eſt, eminentes, primùm virides, dein flaveſcentes, cùm maturi, albeſcentes, ſapore acido-dulci.

In medio pulpæ *Semina* cum ſua longitudine in longitudine fructus conſita, oblonga magnitudine unius articuli compreſſa, colore cœruleo-nigro.

Hæc arbor *Flores* & *Fructus* ſemel in anno dat, in *Martio*.

Apud hoſce Medicos non eſt in uſu.

FIG. 24.

Eadem eſt hæc arbor cum *Fructu malo aureo æmulo C. Bauhini*, ſive *Carcapuli Acoſtæ*. Perperam tamen confundit *Bauhinus*, *Carcapuli Acoſtæ*, & *Carcapuli Linſcot*. Quod manifeſtò liquebit, ſi quis utriuſque deſcriptionem examinet. *Acoſta* enim qui *Carcapuli* quoque *Canarinis* vocari aſſerit, fructum hujus arboris, malo aureo ſimilem tradit. *Linſcot*. autem, fructum Ceraſi magnitudine deſcribit.

Quod ut diſtinctius pateat, lubet hic adſcribere verba Domini *Hermans*, qui literis, anno præterito, *Columbæ* datis, unà cum harum Plantarum foliis & floribus ad me tranſcripſit: *Arboris* (inquit) *Indicæ ſunt folia & flores, quæ Gummi Gottæ fundit, fructu acido, ſulcato, aureo, mali magnitudine, Carcapuli Acoſtæ, Ghoraka Cingalenſibus dicta*. Mox ſubjungit: *Hiſce adde folia & flores alterius ſpeciei, Arboris nempe Indicæ quæ Gummi Gottæ fundit, fructu dulci rotundo, ceraſi magnitudine, Carcapuli Linſcot* (NB. *quod Bauhinus in Pinace, utramque perperam comprehenderit, ſub una ſpecie, Carcapuli Acoſtæ, & Carcapuli Linſchot. Differunt enim inter ſe flore ac fructu, licet in reliquis conveniant,*) *Cingalenſibus vocatur Kanna Ghoraka*, id eſt, *Ghoraka dulcis: binæ hæ arbores ex trunco inciſo Gummi Gottæ fundunt, præſtat autem illud quod ex Kanna Ghoraka.*

Confundi tamen neutiquam debet *Gummi Gottæ* hic deſcriptum, cum vulgari, quod ex *Eſulæ Indicæ* affini Planta, colligi teſtatur *Bontius* Cap. LVII. & ab Indis vocari *Lonam Cambodja*, quod in *Cambodja*, vicina Chinæ regno Provincia, frequenter proveniat.



ATTY-


Fig. 25.
Atti-alu. lat.
Mal.
Arab.
bram.

ATTY-ALU.

Ficus racemosa L. sp. 1515

FIG. 25.

Ficus religiosa L. sp. 1515



Lu quatuor ſunt ſpecies, *Atty-Alu*, *Itty-Alu*, *Areá-lu*, *Perálu*. Fig.25. Ficus benghalensis, L. sp. 1514

Atty-Alu lingua Bramanum, *Roembadoè*, eſt arbor procera, denſis & opacis frondibus latè ſparſis, naſciturque in arenoſis.

Radix craſſa radiculas laterales plurimas fibroſas tam ſubtus, quàm ſuper terram longè latéque diffundens, cortice lacteo, qui ſub cruſta nigricante ex albo rubeſcit, ac inciſus ſeu detractus pleniori rubedine celeriter perfunditur, brachio inciſo aquam limpidam & inſipidam ac ſubrubram ſaporiſque frigidi ubertim exhibet, quæ vaſe ſuppoſito excepta ſuo uſui aſſervatur.

Caudex craſſus, amplexum unius hominis ambitu excedens, cortice craſſo, coriaceo ac lacteo, qui à ligno detractus ſeu inciſus intus ex colore albo quoque nonnihil rubeſcit. *Surculi* teneri virides, geniculati.

Folia quæ in ramis ac ſurculis petiolis mediocriter longis, craſſis, rotundis, & interiùs tenuiter ſtriatis proveniunt, oblongo-rotunda longitudine ad latitudinem, quæ in medio maxima eſt fermè dupla, ad petiolum oris rotundis anteriùs in cuſpidem leniter contractis, ſuntque tenuia, mollia, glabra & lenia, virore in recta parte fuſco & nitente, in adverſa autem claro: nervi in quibus viror dilutior eſt, ex coſta craſſiola, quacum in parte adverſa eminent, obliquo ductu anteriora verſus exeunt, ac proximè ad marginem reflexi minoribus arcubus in ſe invicem deferuntur, ac inter hoſce venis tranſverſis folia cancellatim densè & ſubtiliter pertexta ſunt; ſapor foliis adſtringens, odor nullus niſi ſylveſtris: in vertice ſurculorum conus oblongus & viridis inter folioſa involucra viridia folia tenella recondens.

Flores fert nullos uti nec cæteræ ſpecies.

Fructus in ramis ac ſurculis petiolis curtis, craſſiolis, nonnihil incurvis, tum etiam in ipſo corpore plures congregati proveniunt, ſuntque plano-rotundi, ac ad petiolum contractiores, nonnihil piloſi cum umbilico in vertice haud diſſimiles noſtris ficis, cùm immaturi ſunt, virides ac lacteo liquore, ut & in petiolis; maturi, colore rubicundo & minus lactei; ſuntque in eduliis.

In hiſce fructibus ut in ficis *Grana* parva, tenuia, oblonga, numeroſâ ſerie continentur, conſtantia ex capitulo rotundo & recta cau-

dula, quacum ordine cortici interiùs insident, suntque instar folliculorum in suis capitulis unum semen minutum nigricans recondentia, primùm albicantia, ex maturitate subflavescentia.

Fructibus cùm maturescunt *Formicæ* innascuntur, hosque naturales habent in eduliis; non verò eos qui aliarum sunt specierum.

Bis terve in anno hæc arbor dat fructus, uti & cæteræ species, quæ omnes, ut indigenæ ferunt, non alio modo propagantur, nisi è seminibus fructuum à corvis depastorum, quæ cum suo stercore deponunt.

VIRES EJUS.

R*Adicis* decoctum epotum servit ad purificandum sanguinem & hepar, reprimitque coleræ acrimoniam; ejusdem decurtatæ succus exstillans qui in vase supposito excipitur, etiam hepati male affecto convenit, confertque iis qui manus habent sulcatas & fissas. *Cortex* ardoribus hepatis restinguendis in decocto datur, atque hoc modo usurpatus etiam iis servit qui in ore aliisque partibus sulcos habent. *Idem* tritus ulceri cuique proficuè apponitur, uti & parti laboranti morbo sacro Lusitanicè dicto, *Cobrella*. *Foliorum succus* cum oleo decoctus in febre calida conducit, si vicibus iteratis corpus & caput cum eo lavetur. *Fructus* alvum adstringit, estque comestus proficuus pro pituita humorumque mala temperie corrigenda.

FIG. 25.

Proponuntur hic ab Autoribus quatuor ficuum *Malabarensium* species, quas utpote à nullo descriptas (& forsan huic regioni duntaxat familiares,) sequentibus nominibus insignire placuit. *Atty-Alu* ergo nobis erit *Ficus Malabarensis folio oblongo, acuminato, fructu vulgari æmulo.*



ATTY-

Fig. 26.



ITTY-ALU.

FIG. 26.



Tty-Alu quæ ſecunda ſpecies *Alu* eſt, lingua Bramanum, *Aréca-Góli*, arbor quoque procera eſt, at minor cæteris ſpeciebus, denſis & opacis frondibus latè ſparſis. Fig.26.

Radix quoque craſſa radiculas tam ſubtus quàm ſuper terram longè latéque diffundens, cortice quoque lacteo, qui inciſus etiam cum tempore rubeſcit.

Caudex craſſus, amplexum unius hominis æquans, cortice lacteo, ac cùm detrahitur ſeu inciditur, intus rubeſcente, ex ramis hujus arboris filamenta ſeu radiculæ verſus terram pendulæ demittuntur. *Surculi* teneri virides & geniculati.

Folia quæ petiolis brevibus digitalibus adhærent, minora cæteris, facie oblongo-rotunda, rotundiſque ad petiolum & anterius oris, ac parvâ, anguſtâ & obtusâ cuſpide eminentia, latitudine ad cuſpidem paulò majori, quàm ad petiolum, ſuntque craſſa, ſolida, denſa ac valde nitentia in utraque parte, verùm magis in rectâ, in quâ virore ſunt valde fuſco ac ſaturo.

E coſta quæ in parte adverſa maximè eminet, minùs verò in recta, *Venæ* intra folium conſpicuæ tranſverſim recto ac ſatis parallelo ductu ordine denſo exeunt, atque ad marginem arcuatim concurrentes limbo cinguntur.

Sapor Foliis adſtringens & ſubamarus.

In vertice ſurculorum conus oblongus & viridis inter folioſa involucra viridia folia tenella viridi-diluta recondens.

Fructus qui duo treſve congregati vel ſolitarii cum ſupra ad originem foliorum, tum hinc inde pediculis brevibus proveniunt, parvuli ſunt & rotundi in vertice umbilico eminente coronati, ſuntque etiam, cùm immaturi, lactei ac virides; maturi verò, minùs lactei, colore flavo ac minùs rubeſcente.

Grana in fructibus quoque magna congerie, ſuntque forma & colore illis prioris ſpeciei ſimilia, at minora, recondentia in ſe minutum nigricans ſemen.

VIRES EJUS.

C*Ortex* arboris tritus ac in lacte per pannum exprimendo datus vertigini capitis ſedandæ confert. Ulceribus curandis prodeſt *Foliorum* decoctum cum oleo, ſi cum eo corpus perungatur; habet quoque hæc eaſdem vires cum prima, dictis modis, quibus illa uſurpata.


FIG. 26.

Secunda hæc Ficus ſpecies non inconcinnè meo judicio vocabitur *Ficus Malabarenſis, folio denſiuſculo nitente, fructu parvo, rotundo, coronato.*



AREA-

Fig. 27.



A R E A L U.

FIG. 27.



Reálu, quæ tertia eſt ſpecies *Alu*, lingua Bramanum *Bipaloè*, arbor quoque eſt procera, denſis & opacis frondibus latè ſparſis, naſcenſque in arenoſis & petroſis, ac etiam in arboribus, uti *Itti-Alu*. Fig. 27.

Radix craſſa radices fibroſas tam ſubtus quàm ſuper terram longè latéque diffundens, cortice lacteo qui inciſus etiam rubeſcit.

Caudex craſſus, duorum paſſim hominum amplexum ambitu æquans, cortice lacteo, qui detractus ſeu inciſus etiam rubeſcit.

Surculi novelli virides geniculati.

Folia quæ longis, tenuibus, rotundis, ac viridi-albicantibus petiolis appendent forma cordis humani, anteriùs anguſta ac longa lanceola cuſpidata, quæ vetuſtiora poſtica parte ad petiolum rectioribus oris, quæ teneriora rotundioribus circumſcripta, margine tum æquabili tum in arcus ſinuato; ſuntque ſolida ac denſa, minuſque craſſa, quàm illa ſecundæ ſpeciei, lenia & mollia; at quæ vetuſtiora ſunt, rigida, in interiori latere virore nitente & fuſco, exteriùs claro.

Ex coſta in utraque parte eminente *Coſtulæ* tranſverſæ recto & ferme parallelo ductu anteriora verſus obliquè exeunt ad marginem proximè progredientes, ubi arcubus rotundis & ſimplicibus in ſe invicem concurrunt in recta parte maximè eminentes, ac in adverſa in quibuſdam ſolum conſpicuæ, in quibuſdam verò tenuiter eminentes, inter haſce coſtas in interiori parte plurimi extantes nervuli cancellatim intertexti folia in ea parte ſcabra reddentes, ac in adverſa inſtar venarum intra folium ſolum conſpicui cum plurimis aliis numeroſis venulis: ſuntque folia in margine nervulo tenui & albicante circumdata.

In vertice ſurculorum *Conus* oblongus, viridis, inter folioſa involucra viridia folia tenella viridi-diluta recondens.

Fructus ramis ſurculiſque ſupra ad exortum foliorum in nodulis bini & bini juncti & uniti arctè inſident, ſuntque uti illi *Itty-Alu* parvi & rotundi, colore quoque minùs rubro, quàm illi *Atty-Alu*, ſuntque illis *Itty-Alu* planè ſimiles cum umbilico parvo, in vertice formicis intus carentes.

In hiſce fructibus *Grana* quoque numeroſa, eadem cum illis

Atty-Alu magnitudine, ſemen minutum nigricans in ſe recondentia.

Eſt hæc arbor Deo *Viſtnu* ſacrata, quem ſub ea natum eſſe & flores ſuſtuliſſe hi gentiles fantur: eſtque ex religione ipſorum hanc adorare, muro lapidum cingere, eamque ſeu lapides juxta poſitos rubro colore ſignare, quamobrem ab incolis Chriſtianis *Arbor Diaboli* nominatur.

VIRES EJUS.


R*adicis Cortex* in decocto datus coleræ acrimoniam obtundit & ſanguinem purificat, eſtque in febribus fixis & radicatis præſidio. *Cortex Arboris* ad ulcerum ſanationem conducit tritus & appoſitus, ac cum aqua eodem modo adhibitus prodeſt pro morbo ſacro. *Succus Foliorum* expreſſus, ac cum oleo decoctus, conducit in febre podagrica corpore cum eo peruncto.

FIG. 27.

Tertiam hanc ſpeciem non incongruè appellandam cenſeo, *Ficum Malebarenſem, folio cuſpidato, fructu rotundo, parvo, gemino.*



PERA-


Fig. 28.
Peralu. lat.
പെരാലു mal.
Arab.
वडु bram.

PERALU.

FIG. 28.



Erálu, quæ quarta ſpecies *Alu* eſt, ling. Bramanum *Vadhoè*, arbor cæteris procerior, denſis & opacis frondibus latè ſparſis, naſciturque in arenoſis. Fig. 28.

Radix craſſa radices fibroſas, tam ſubtus quàm ſuper terram longè latéque diffundens, cortice præ cæteris lacteo, qui inciſus quoque rubeſcit.

Caudex eximia craſſitie duûm triumve etiam hominum amplexum ambitu æquans, cortice præ cæteris lacteo, qui detractus ſeu inciſus quoque intus rubeſcit: ex ramis ut in *Itti-Alu* filamenta ſeu radiculæ multò numeroſiores verſus terram pendulæ demittuntur.

Surculi teneri, virides, geniculati, piloſi ſeu lanuginoſi.

Folia, quæ petiolis mediocriter longis, craſſis, planis, valdè lacteis, ac viridi-albicantibus & ſubtilibus pilis obſitis proveniunt, majora & craſſiora ſunt cæterarum ſpecierum foliis, & quidem craſſitie eximia, forma oblongo-rotunda, anteriora verſus rotundiola ac rotundis oris contracta, majori latitudine verſus petiolum texturæ denſæ & ſolidæ, ſuperficie plana, polita ac lenia, in utraque parte tomentoſa lanugine obducta, in adverſa lanugine denſiori & leniſſima, ac *Veluti* ſeu corii lanuginoſi lenitie, virore in recta parte fuſco & nitente, in adverſa claro.

E petiolo cum coſta intermedia quæ valdè craſſa eſt, ac hinc inde coſtulas ſuas laterales obliquè anteriora verſus emittit, utrinque duæ *Coſtæ* exeunt, quæ verſus poſticam partem folii ſuas quoque *Coſtulas* emittunt, omneſque ad marginem arcuatim concurrunt in adverſa parte eminentes, in recta tum conſpicuæ, tum etiam nonnihil eminentes: inter haſce coſtas nervuli tranſverſi rariores, qui venulis denſis ac ſubtilibus pertexti ſunt, ſparſi. Sapor Foliis adſtringens, odor nullus.

In vertice ſurculorum *Conus* eſt oblongus & viridis inter folioſa involucra folia novella viridia recondens.

Fructus ramis ſurculiſque ſupra ad exortum foliorum paſſim bini & bini juncti & uniti, ut illi *Areálu*, arctè inſident, rariùs ſolitarii, ſuntque magnitudine cum illis *Atti-Alu* eâdem, at rotundiores, nec non colore maximè intenſè rubeſcente ſeu incarnato ſaturo; cùm matureſcunt, tomentoſa lanugine obducti, cum umbilico parvo in vertice.

In hiſce fructibus grana quoque numeroſa congerie, magnitu-

dine eadem cum illis *Atti-Alu* in se semen minutum nigricans instar folliculorum recondentia.

Vadhoè Bramanes grande, atque adeò hoc nomine velut per excellentiam notant grandem arborem, uti hæc, utpote cæteris speciebus prægrandior.


VIRES EJUS.

Liquor *Radicum* seu filamentorum, quæ ex ramis deorsum pendent, cum aqua simpliciter epotus, vel in decocto datus mitigat dolorem febrilem purificatque hepar & sanguinem. *Cortex* arboris tritus proficuus est pro morbo sacro parti affectæ appositus. Ablutio corporis cum *Corticis* decocto in febre confert.

FIG. 28.

Quartum hoc ficuum genus, non immerito dicetur *Ficus Malabarensis folio crassiusculo, majori, fructu gemino, intensè rubente.*

Si autem alicui placuerit, aliquas ex hisce speciebus, ad *Sycomorum* referre, non malè quoque illud fieri posse, libenter sentiam.



BUPA-


fig. 29.
Bupariti . lat.
mal.
Arab.
bram.

BUPARITI.

FIG. 29.


Ariti quatuor ſunt ſpecies, *Paritì*, *Bu-Pariti*, *Schem-Pariti*, *Cadù-Pariti*. Fig. 29.

Bu-Pariti lingua Bramanum *Vàlli-Càri-Capoèſi*, eſt arbor excelſa, naſcens in arenoſis, denſis opaciſque frondibus, coronam valdè gratam efformans, idque maximè quod ob puritatem nullis formicis neque muſcis infeſtetur.

Radix pinniformis plurimis capillatis fibris terræ ſe affigens.

Caudex amplexum unius hominis ſuperans ligno albicante eſt minùs duro & ſolido, quemadmodum illud abietum, verùm nullis venis undulatis, quod adaptatur ad conficienda inſtrumentorum muſicorum opercula, intus in ligno corculo molli; ejus cortex eſt ut cortex tiliæ, cum quâ in multis ut forma, amœnitate & viriditate convenit, eſtque lignum & cortex nullius odoris, neque ſaporis, niſi ſylveſtris & adſtringentis.

Folia, quæ teneris ſurculis, ſive ii ex vetuſtioribus ramis è latere, ſive ex eorum ſuperiori parte erumpunt, petiolis longis, rotundis, viridibus, tenuibus appendent, ſunt forma cordis humani, magnitudine unius palmi & amplius, anteriùs lanceola oblonga & anguſta, cuſpidata, contextura mollia & ſolida, ſuperficie plana & glabra, viroris communis & parum nitentis, in parte adverſa dilutioris, odoris & ſaporis nullius niſi ſylveſtris.

Ex petiolo cum coſta media utrinque *Coſtæ* tres exeunt, quæ anteriùs progreſſæ ad oras folii excurrunt, ubi inter ſubtiliſſimos venularum cancellulos ac tractus diſparent, ſuos ramulos laterales verſus marginem dimittentes, ſuntque coſtæ etiam in recta parte eminentes, licet magis in adverſa.

Flores qui longis quoque petiolis ſupra ex origine foliorum proveniunt, ſunt campanæ quinque oblongo-rotundorum foliorum calyci arcto, rotundo, profundiolo & craſſo ac viridi-fuſco, qui quinque minutis apicibus in ora eminet, inſidentes, coloris ex albo flaveſcentis, qui nonnihil ad virorem vergit, odoris nullius; folia ſupra ſe invicem convoluta ſunt exteriùs venis ſeu nervis eminentibus in longum ſtriata, & ad idem latus in parte inferiori valde aſpera, ſuntque ad calycem craſſiola, anteriora verſus tenuia, rugis valde criſpa & contracta, & cum unguiculis verſus unam partem inflexa; inferiùs in collo flores roſa inſigniti ſunt purpureo-rubicundo-fuſca quin-

que foliorum, quæ ſingula in ſingulis unguiculis foliorum diſtinctè notata ſunt.

Ex medio exſurgit *Stylus Columnaris* ſtriatus, albicans, circumdatus infra apicem penicillo numeroſorum ſtamunculorum, tenuium, albicantium, quæ flavis lunularibus apicibus dotata ſunt, ac apice quo extra penicillum ferme digito tranſverſo emicant tortuosè inflexo.

Gemmæ Florum conicæ ſunt poſt aperturam flores ex albicante magis & magis flaveſcunt, & ſpatio trium dierum fuſco-rubeſcunt, ac tum foliis contractis & clauſis ſunt, atque cum eo colore emortui ex calyce decidunt, untque fronde per totum annum floribus numeroſis adornatæ.

Floribus deciduis *Capitula* flavo-rotunda ac quinquangulata conſpiciuntur, quæ in calyce florum profundè conſita ſunt, habentque latera nonnihil introrſum inflexa; capitula hæc inciſa flavum, gummoſum liquorem qui *Gutta-Gambæ* ſimilis, ſaporis autem & odoris debilis ac ſylveſtris eſt, exſudant, ſuntque per interſepimenta intermedia in longum diſtincta in quinque capſulas quæ ſingulæ per intermediam eminentem corticis ſuturam in duo loculamenta diviſa ſunt.

Semina, quæ in iis conſita oblonga ſunt, trilatera, uno latere rotundo in quo argenteo lanuginoſo cortice circumdata ſunt, ſuntque colore ſpadiceo-fuſci cum nucleo albicante in medio.

Flores hæc arbor fert toto anno ubere proventu.

VIRES EJUS.


Folia ulcerum ſanationi ſerviunt iis applicata.

FIG. 29.

Sequentes haſce plantas *Alceæ* eſſe ſpecies, nemo vel mediocriter in Botanicis exercitatus, inficias ibit.

Sed miror Autores quatuor proponere, cùm tres tantum deſcribant, & totidem Icones exhibeant. Prima ergo nobis erit *Alcea Malabarenſis, Abutili folio, flore majore, ex albo flaveſcente.* Sed quid interim de *Abutilo Indico Camerarii*, cui florem magnitudine roſæ ſylveſtris albicantem, interius luteum adſcribit, ſtatuendum? Ut verum fatear, magnam videtur habere cum hac & ſequenti Planta affinitatem, & niſi florum obſtaret figura, quam in Iconibus exhibet *Camerarius*, majori cum audacia certi aliquid pronuntiare poſſem.

PARI-



T. 30.
Pariti. lat.
mal.
Arab.
कारिकापुसी bram.

PARITI, seu TALI-PARITI.

FIG. 30.


Ariti, quæ secunda species est ling. Bramanum Fig.30
Càri-Càpusi, est arbor altitudine trium ferme hominum.

Radix fibris suis capillaceis in latum se diffundens.

Caudex crassus amplexu unius hominis ambitu minor.

Rami fusci cortice interiore viridi.

Folia, quæ in nodis solitaria, vel cum novellis supra suum exortum ramis in petiolis mediocribus, rotundis, crassioribus, viridibus & in recta parte etiam rubescentibus proveniunt, sunt forma cordis humani latioris & rotundioris, in summitate oblonga-angusta cuspide eminentia, in postica parte ad petiolum oris per incisuram diductis, in margine tenuissimis crenulis, contextura solidiora & crassiora, in recta parte viridi-fusciora, in adversa viridi-clarissima & albicantia, lanuginosa seu tomentosa ac lenia instar *Veluti*.

Cum costa media, ex qua costulæ ferme binæ & binæ exeunt ex petiolo tres utrinque *Costulæ* egrediuntur, quæ ramos suos seu costas transversas versus marginem emittunt, ex hisce tribus ea quæ costæ mediæ proxima est arcuatim alte ascendit, suntque costæ in se invicem arcuatim incurrentes cum costis minoribus versus marginem superimpositis, & ex se ramos seu nervulos transversos, qui mutuo inoculantur, diffundentes, ac cum iis solùm in adversa parte eminentes.

Flores qui in superiori parte surculorum supra ex origine foliorum petiolis uncialibus crassis & viridibus proveniunt, sunt etiam campanulæ quinque foliis parum rotundis constantes forma & colore quoque similes iis *Bu-Parità*, verùm hi minores sunt, & in exteriori parte subasperi, nec tantopere se crispant ac corrugant, suntque in inferiori parte colli non rosa quinque foliorum, sed macula grandi rotunda, purpureo-rubro-valde fusca notati.

E medio maculæ purpureæ exſurgit *Stylus Cylindraceus*, qui albicantibus & ſubflavis gemmulis ſeu glomis eſt circumdatus, in ſummitate, qua ſupra glomos emicat, nodo oblongo-craſſo & purpureo-rubro & valde fuſco extuberans.

Calyx eſt quinque foliorum viridium oblongo-cuſpidatorum quæ in medio coſta eminente in longum ſtriata ſunt, ac à decem minoribus cuſpidatis foliis arctè comprehenduntur, conſtatque pede craſſo, digitali, qui inferiùs duobus parvis cuſpidatis & viridibus foliis ad inflexuram petioli, cui annexus eſt, ſuccingitur.

Flores hi quoque rubeſcunt.

Floribus deciduis ex calyce erumpunt *Capitula* oblonga-rotunda à foliis calycis, quæ tum colore Perſico ſunt, ferme in totum comprehenſa, ſuntque hæc capitula pilis minutis albicantibus obſita, in longum quinque lineis ſeu ſulcis ſtriata, ac in quinque capſulas ſeminales per membranas intermedias diſtincta.

VIRES EJUS.

FLores triti cum lacte mulieris auribus induntur pro doloribus capitis.

FIG. 30.

Secunda hæc ſpecies nuncupanda videtur *Alcea Malabarenſis, Abutili folio, flore minore ex albo flaveſcente, exterius ſubaſpero.*

Debuiſſet autem, ut antè monui, ſubſequi *Schem-Pariti.* Verùm cùm nec deſcriptionis nec figuræ ullum invenerim veſtigium, nihil eſt quod de eo referam.

CUDU-


F. 31.
Cudu-pariti. lat.
mal.
Arab.
कापस bram.

CUDU-PARITI.

FIG. 31.



Udù-Pariti, quæ ſpecies *Pariti* lingua Bram. *Capuſſi*..., eſt arbuſcula altitudine duorum hominum naſcens in arenoſis. Fig.31.

Radix pinniformis cortice albicante fibras emittens.

Stirps duos in ambitu palmos craſſus evadit, cortice eſt communi cum corculo in medio ligni.

Folia ſunt inſtar manus in quinque digitos ſeu foliola oblongo-anguſta & cuſpidata, inciſa, quorum medium magis oblongum, dein illud quod medio proximum, ſuntque craſſitie mediocri, ad tactum nonnihil lenia, utrinque viroris nonnihil fuſci.

E petiolo quinque *Coſtæ* viridi-albicantes exeunt, quæ ſingulæ in cuſpidem foliorum incurrunt in adverſa parte ſolùm eminentes, & in recta tantùm nonnihil proximè ad petiolum ac venulas tantùm ſubtiles intra folium tranſverſim mittentes, ac inter eas utrinque ſubtiles venæ lacunoſæ denſo cancelliformi contextu ſunt.

Flores qui in ſummitate ſurculorum brevibus petiolis proveniunt, ſunt quoque campanulæ quinque foliorum oblongo-rotundorum ejuſdem formæ cum illis priorum ſpecierum, ſuntque etiam colore ex albo flaveſcente, ſed qui magis ad virorem vergit, minores cæteris, in adverſa parte venis minùs eminentibus ſtriati, minimè verò aſperi, minùs quoque ſe criſpant, in inferiori parte colli in umbilico roſa purpureo-rubro-obſcura notati ſunt.

In medio emicat *Stylus* albicans penicillo ſtamunculorum tenuium & rubrorum, quæ gemmis flavis & lunularibus dotata ſunt, circumdatus cum ſuperiori parte albicante extra ſtamunculorum penicillum eminens.

Calyx, cui inſident, rotundus, arctus, viridi-albicans, & punctulis viridi-fuſcis notatus, ac ad inferiorem partem tribus foliis viridibus, grandiuſculis, oblongis, cuſpidatis, quæ ſingula quatuor, quinqueve cuſpidibus anteriùs eminent, ac nervulis in exteriori parte in longum ſtriata ſunt, circumamictus.

Gemmæ Florum cuſpidatæ & conicæ ſunt, ſuntque etiam flores hi, poſtquam per aliquod tempus aperti fuêre, rubeſcentes ac coloris rubro-perſici, pellucidi ac nitentis.

Capſulæ Seminales, quæ floribus deciduis è calyce prodeunt, ſunt trilateræ & in ſummitate ſtrictæ ac cuſpidatæ, lateribus nonnihil ro-

tundiolis, viridi-dilutis, quæ punctulis lacunosis, viridi-fuscis effossa ac in angulis sulco striata sunt, in inferiori parte à calyce arctè apprehensæ, constantque cortice crasso ac duriolo, qui odoris est instar fructus *Mangæ Indicæ*, in iis tria loculamenta sunt per intersepimenta membranacea, quæ singula è medio cujusque lateris oriuntur & in medio stylis lignosis concurrunt à se invicem distincta, continentia singula in se tria quatuorve semina ac densa filamenta candida, lanuginosa, quæ semina arctissimè & densè involvunt.

Semina oblongo-rotundiola sunt colore in cortice primùm albicante, deinde fusco, nucleo intus albicante qui est saporis nonnihil ardentis & subacris.

Ex filamentis candidis *Gossypium* conficitur.


Toto anno *Flores* fert.

VIRES EJUS.

FOlia trita & cum lacte vaccæ in unctione capitis adhibita somnum conciliant, atque eodem etiam modo sedant dolores capitis ac ejus vertiginem. *Fructus* triti & in aqua epoti fluxui dysenterico sistendo conferunt serviuntque pro sulcis oris.

FIG. 31.

Posterior hæc species nobis vocabitur *Alcea Malabarensis Pentaphylla, flores minore ex albo flavescente, semine tomentoso*. Quod autem non exiguam cum *Sabdariffa* habeat affinitatem; neminem negaturum crediderim, qui utramque Plantam diligentiùs examinaverit.



CHO-


Chovanna-mandáru. lat.
വന്നമന്ദാരം. mal
Arab.
ताबिडोमंदारु bram.

CHOVANNA-MANDARU. = Bauhinia variegata

FIG. 32.



Andáru quatuor ſunt ſpecies, *Chovanna-Mandáru*, cujus duæ ſunt ſpecies ejuſd. nominis, *Velutta-Mandaru*, & *Cánſchena-Pùu*. Fig.32.

Chovánna-Mandaru prima, lingua Bram. *Tambidò-Mandáru*, eſt arbor altitudine quatuor hominum, frondibus denſis & opacis latè ſparſis, naſcenſque in arenoſis & petroſis.

Radix craſſa eſt, in latum ſua brachia diffundens, cortice ſub exteriori cruſta nigricante-rubro.

Caudex unum ferme pedem craſſus.

Folia, quæ petiolis brevibus exteriùs rotundis, interiùs planis ac ſulco ſtriatis proveniunt, in ſuperiori parte bifida ut caprarum pedes, ob quod à Luſitanis, *Peè de Capra*, nominata, ac interiora verſus nonnihil clauſa lateribus oblongis ac rotundis, verſus anteriora leniter rotunda ora contractis, ac à poſtica parte rotundæ incurvaturæ, interiori ſuperficie plana, ac colore viridi-ſurdo, in adverſa colore viridi-ſubcœruleo, ac in margine nervulo ſubtili viridi-diluto circumdata.

Ex petiolo *Coſtulæ* undecim viridi-dilutæ ac flaveſcentes excurrunt cum coſtula intermedia, quæ in fiſſuræ terminum intrat utrinque quinque ejuſdem cum intermedia craſſitiei, quæ à coſta media longiùs diſtant, ductu magis inflexo incedunt, omneſque marginem ingrediuntur, committuntque hinc inde mutuo coſtulas tranſverſas parùm eminentes.

Flores, qui petiolis longiuſculis & viridi-dilutis ſupra ex origine foliorum proveniunt, ſunt odore fragranti ac roſaceo, quinque foliorum rotundiolorum ac parum oblongorum, quæ ad unam partem magis ſita ſunt, quorum unum quod majus eſt ac latius, & rotundioris formæ ac ſurrectum, colore intus purpureo-rubro, ac ad umbilicum floris coloris flavi, purpureis notis hinc inde tincti, venuliſque purpureo-rubris variegati, ad oras autem colore magis purpureo-diluto, in ſuperficie exteriori magis albicante; cætera quatuor magis oblonga, colore roſaceo-ſaturo, exteriùs diluto, horum duo quæ majori proximè adjacent, interiùs in ima parte ſunt colore albicante, reliqua duo interiùs in totum colore ferme roſaceo: ſuntque folia venula intermedia latiori, ex qua venulæ obliquè anteriora verſus excurrunt, ſtriata.

Stamina in medio quinque vel ſex, quæ apicibus ſurrectis ac viridi-

ridi-diluto-flavefcentibus dotata funt, ac verfus folium furrectum & variegatum inflexa, quorum duo vel tria, quæ minora funt, ac magis incurvata, colore candido, tria reliqua colore rofaceo, ac cum iis filiquæ germen in fuo petiolo fe prodit.

Ad petiolum florum *Unifolium* viride eft venulis ftriatum à parte folii furrecti florem fuccingens, ac gemmam florum primùm includens.

Gemmæ Florum oblongo-rotundæ, ad fummitatem contractiores.

Poft flores *Siliquæ* oblongæ valdè compreffæ, rectæ, glabræ, longæ feptem, octovè circiter pollices prodeunt.

Fabæ quæ intus continentur, planæ funt ac oblongo-rotundæ, colore albo dum immaturæ, dum verò ficcæ, colore ruffo feu flavo-rubefcente-obfcuro ad fpadiceum vergente, jacentque in propriis loculis cum fua longitudine in latitudine filiquarum corneo ac duro interfepimento à fe invicem fejunctæ cum parvo umbilico in vertice juncturis laterum filiquarum hærentes.

Toto anno hæc arbor fert flores tempore pluviofo uberiori proventu.

Schovanna-Mandáru Malab. fic dicta à floribus quos rubros habet.

VIRES EJUS.

R*Adix* in decocto data flatus difcutit & lumbricos in pueris enecat, hoc modo fumpta cum faccharo & melle pellit tuffim & pituitam folvit. *Cortex* contritus ac cum aqua, in qua *Oryza* lota eft, in lotione adhibitus, humoribus evocandis confert. *Flores* cum faccharo decocti proficuè ufurpantur loco facchari rofati pro leni purgativo.

FIG. 32.

Arbores hafce quatuor, foliorum divifurâ imprimis infignes, ab aliis defcriptas non invenio. Priorfs ramulum ficcatum ante biennium ex *Zeilan* Infula tranfmifit Dominus *Hermans*, addita fequenti infcriptione.

Arbor Sancti Thomæ. In floribus apparent fanguineæ ftriæ, ab effufo fanguine D. Thomæ, enatæ. Docuiffe creditur D. Thomas in Malabar & Zeilan.

Minimè verò hafce arbores eafdem cenfeo, cum *arbore de Sancto Thoma Acoftæ*, five *Macere*, cujus Hiftoriam videre licet, lib. Aromatum Cap. XII.

Commodè autem primam appellari poffe reor *Arborem filiquofam Malabaricam, foliis bifidis, flore purpurafcente ftriato.*

CHO-



Choranna-mandarū. *lat.*

ചുവന്ന മന്താരം. *mal.*

چیانّا مانْطارُونْ *Arab.*

ताबीड़ोमंदारु *bram.*

CHOVANNA-MANDARU.

FIG. 33.



Hovánna-Mandáru ſecunda, quæ eſt ſecunda ſpecies *Mandaru*; eſt quoque arbor procera ut prima ſpecies denſis frondibus latè ſparſis, naſcenſque in arenoſis. Fig. 33.

Radix craſſa brachia in latum diffundens.

Caudex quoque craſſus unum ferme pedem.

Folia quoque bifida ac interiora verſus nonnihil clauſa proximè ſimilia prioris ſpeciei foliis, ſed iis ut & cæteris majora, ſuntque profundiori fiſſura inciſa quàm illa primæ ſpeciei, & anteriora verſus lateribus paulò magis contractioribus, tactu lenia in adverſa parte, ubi venulæ inter coſtas intermediæ minùs exſtant, colore magis hyalo, in recta viridi-fuſciori.

Flores, qui unifolio viridi-flaveſcente & rubeſcente, craſſiolo, plicato & ſegmentis in inferiori parte feneſtrato ſuccinguntur, quinque etiam vel ſex conſtant foliis oblongo-anguſtioribus, quæ unguiculis longiuſculis & anguſtis ſunt, colore purpureo-valde rubicundo, quatuor autem vel quinque, tota ſuperficie tam exteriori, quàm interiori purpureo-rubicunda, unum ad petiolum intus & extra ſtriis albis venulas inter purpureas depictum ac variegatum eſt.

Stamina quæ folium variegatum cum ſuis apicibus viridi-dilutis ac flaveſcentibus inflexa reſpiciunt, tria, quatuor, vel quinque ſunt ac craſſiora, ac ad exortum ſex ſeptemve plurimis parvis filamentis comitata, colore purpureo-valde diluto ſeu albicante. Inter ſtamina *Siliquæ* germen petiolo ſuo ſe prodit.

Gemmæ Florum quinquangulatæ.

Siliquæ hujus omnium ſpecierum maximè longæ ſeſqui-ſpithamam aut etiam duas æquantes, latitudine pollicari, planæ quoque compreſſæ, rectæ & glabræ.

Fabæ, quæ cum ſua longitudine in latitudine ſiliquarum conſitæ, eædem cum fabis prioris ſpeciei forma & colore.

Flores hæc arbor fert toto anno, tempore pluvioſo uberiore proventu.

VIRES EJUS.

R*Adix* maſticata confert in dentium & capitis doloribus trita & appoſita pro dolore arthritico, cum gingibere ſicco trita & in unctione adhibita pro raucedine ex pituita oborta, in decocto data. *Foliorum* decoctorum vapor dolores corporis ſedat in parte affecta exceptus. *Flores* ſimpliciter comeſti purgativi ſunt. *Cortex*, *Flores* & *Fructus* ſimul triti & mixti cum aqua in qua macerata fuit oryza, ſerviunt apoſtematis aperiendis & maturandis.

FIG. 33.

Denominanda videtur hæc ſpecies, *Arbor ſiliquoſa Malabarica, foliis majoribus bifidis, flore intenſius purpuraſcente ſtriato.*



V E-



Velutta-mandaru. lat.
വെളുത്തമന്ദാരം *mal*
Arab.
दवामीदारु *bram.*

VELUTTA-MANDARU.

FIG. 34.


Elutta-Mandáru, quæ tertia ſpecies eſt *Mandáru*, lingua Bramanum, *Davò-Mandáru*, eſt arbuſcula altitudine unius hominis, naſcens in arenoſis. Fig.34.

Radix minùs craſſa nec profundè in terram deſcendens.

Caudex craſſus unum circiter brachium.

Folia bifida quoque ſimilia cum iis prioris ſpeciei, ſed lateribus oblongioribus ac profundiùs inciſis ſunt, & verſus ſummitatem in cuſpidem contractis, colore viridi-fuſco in interiori, ac ad ſtrias coſtularum nitentia, in parte autem exteriori colore viridi-flaveſcente, ac in ea parte groſſioribus extantibus nervis inter coſtas ſtriata.

Flores, qui folio feneſtrato viridi & tenui ſuccinguntur, ſunt albiſſimi nullis tincti maculis, odoris nullius, conſtantes quoque quinque foliis rotundiolis, parum oblongis, quæ venulis ſtriata ſubtilioribus.

Stamina in iis decem candida è medio exeunt verſus unam partem quoque inflexa, coloris albi cum apicibus flavis ac nonnihil ſurrectis in faſtigiis, & cum iis tenerum germen ſiliquarum, è cujus vertice filamentum craſſiuſculum exit, ſe prodit.

Gemmæ Florum oblongo-rotundæ.

Siliquæ minores cæteris, longitudine quatuor aut quinque pollicum, latitudine quoque pollicari, planæ quoque ac compreſſæ & glabræ, nonnihil incurvæ verſus unam partem, ac dorſo rotundo latoque circumſcriptæ.

Fabæ, quæ cum ſua longitudine quoque in latitudine ſiliquarum conſitæ ac interſepimentis diſtinctæ, oblongo-rotundæ, craſſiolæ ſeu minùs compreſſæ iis *Chovánna-Mandáru*, ac multo minores coloris flavi minùs rubeſcentis.

Flores hæc arbor bis terve in anno fert tempore pluvioſo, uberiore proventu.

VIRES EJUS.

IN aqua decocta facta lotione pellit humores corporis; proficua quoque eſt pro ulceribus ſanandis trita & iis appoſita. *Radix* in oleo decocta facta perunctione puſtulas parvas in auricula natas ſanat. *Eadem* dentium dolorem ſedat manſa & iis appoſita. *Cortex* decoctus cutaneos corporis pruritus lotione ſedat. *Flores* cum pipere triti & fronti appoſiti conferunt pro dolore capitis.

FIG. 34.

Hanc ſpeciem non malè vocari poſſe crediderim *Arborem ſiliquoſam Malabaricam, foliis bifidis, flore candido ſtriato.*




CAN-

Canschena-pou. lat.

കാംഞ്ചനപൂ *Mal.*

چَاغْجنَا پُوْ *Arab*

काचण *bram*



CANSCHENA-POU.

FIG. 35.



Anſchena-Pou eſt quarta ſpecies *Mandáru* vocata, Fig. 35.
lingua Bram. *Cantſánu*, eſt quoque arbor altitudine duorum ferme hominum, ramos quoque denſos tranſverſim diffundens.

Radix intus eſt corculo flavo.

Caudex eſt craſſitie ferme ſemipedis.

Folia hæc bifida & illis priorum ſpecierum ſimilia, ſed multò minora, lateribus verſus anteriora, ut illa primæ ſpeciei rotundiolis, ac ad petiolum rectioribus oris, nullo ferme angulo in curvatis, in utraque ſuperficie valde lenia & piloſa lanugine, odore ſunt forti, maximè cùm teruntur, veſpertino ac nocturno tempore interiora verſus clauſa ſunt.

Flores, qui unifolio viridi-ſuccinguntur, albo-flaveſcentes quinque foliorum, quæ oblongo-rotundiora & latiora ac unguiculis mutuo convoluta ſunt; unum è foliis quod magis ſurrectum eſt & anguſtius ac oris verſus interiora contractis ad unguiculum inſignitum eſt pictura purpureo-rubicundo-obſcuri coloris, quæ folium parvum in ſummitate acuminatum repræſentat. Odor eis nullus.

Stamina, quæ quoque decem habent, albo-flaveſcentia incurvatum verſus folium, quod magis ſurrectum eſt ac pictura inſignitum, ornata apicibus oblongis & flavis. In medio quoque germen ſiliquæ ex ſummitate filamentum craſſiuſculum ejiciens ſe prodit.

Siliquæ ſunt longitudine ut illæ primæ ſpeciei, ac exteriori ſuperficie valdè lenes & lanuginoſæ, cùm teneriores ſunt.

Fabæ valde parvæ loculis ſatis latis, quæ interſepimentis interſtinguuntur, contentæ, cum ſua longitudine quoque jacentes in latitudine ſiliquarum, ſimiles fabis *Velutta-Mandáru* forma & colore.

Flores bis terve hæc arbor in anno fert tempore pluvioſo uberiore proventu.

VIRES EJUS.

R*Adix* servit pro parotidibus aut strumis trita & iis apposita. *Radicis Cortex* decoctus & epotus proficuus est pro phlegmate, ventris vermibus, hepatis inflammatione, uti & pro hæmorrhoïdibus. *Idem Cortex* tritus & parotidibus appositus tumorem tollit, ac eod. modo usurpatus confert in vulnerum sanatione & carnem adducit.

FIG. 35.

Hæc non ineptè nuncupari poterit, *Arbor siliquosa Malabarica, foliis bifidis minoribus, flore albo flavescente striato.*



M A-

Hydnocarpus inebrians

Fig. 36.



MAROTTI.

FIG. 36.


Arótti lingua Bram. *Caitù*, eſt arbor procera, ramis denſis & opacis latè tranſverſum diffuſis, naſcens in arenoſis. Fig. 36.

Radix craſſa, ramos latè ſpargens, exteriùs valde nigricans, intus cortice rubeſcente, qui ſaporis eſt adſtringentis, ligno albicante.

Caudex craſſus, ambitu unius hominis amplexum implens, ligno albicante, cortice craſſo, qui exteriùs ex viridi nigricans, ſub exteriori cruſta rubeſcens.

Rami cinerei, teneriores, villoſi ac ſpadicei ſeu muſcoſi coloris.

Folia hinc inde in ramis, ſurculiſque petiolis brevibus, viridibus, rotundis proveniunt; ſuntque ſpithamam longa, quatuor quinqueve pollices lata, forma oblongo-rotunda, anteriùs cuſpide oblongo-anguſta eminentia, in margine crenata ac denticulis acutis emicantia, contextura ſolida, craſſa, ſuperficie plana, in recta parte viroris fuſci, in adverſa viroris communis vel clari, in utraque nitentis, maximè in adverſa, ſuntque odoris ſylveſtris, nonnihil gravis.

Ex coſta media quæ in recta parte nonnihil eminet, *Coſtæ* tranſverſæ in adverſa maximè eminentes, tenuiter verò in recta, obliquo annulari ductu exeunt juxta marginem tractu longiuſculo excurrentes ac in arcus ſinuati, venuliſque ſubtilibus tranſverſis, quæ & in ſuperficie utrinque conſpicuæ ſunt, intertextæ.

Flores in ſuperiori parte ramorum hinc inde tum ſupra ex origine foliorum, tum ex ipſo corpore ſeptem octove plus minus ad unum exortum congregatim petiolis curtis proveniunt, ſuntque gemmæ parvæ, quæ apertæ tres ſeries foliorum offerunt; in prima interiori ſerie eſt ſtella quinque minorum craſſorum cuſpidatorum foliorum, quæ villoſa ſunt & ſpadiceo-fuſca, lenia ac nitentia inſtar *Veluti*; in ſecunda ſerie quinque folia ſunt majora, rotunda, parva, interiùs cochleato-cava, ſubrufa ac pilis candidis maximè in oris obducta, quæ ſingula unum cuſpidatum folium ſtellæ intra ſe recipiunt: quæ in tertia ſeu exteriori ſerie ſunt folia quinque cuſpidata, viridia, exteriùs viridi-muſcoſa, quæ cùm in gemmis ſunt flores exteriora folia ſunt reliqua includentia; ex umbilico

Stamina quinque inferiùs craſſiola, viridia & piloſa, ſupernè tenuia & albicantia cum apicibus rotundiolis albicantibus ſubflavis emicant in ſe globulum viridem, qui eſt rudimentum fructus complectentia.

Gemmæ Florum rotundæ & nonnihil viridi-muſcoſæ.

Fructus, qui ramis petiolis curtis, craſſis, ipſis ramis ferme duplo craſſioribus appendent, ac pandi ſunt, rotundi ſeu etiam oblongo rotundi, in ſummitate ſæpe curto ſeu oblongo nodo eminentes, cortice exteriùs rufo ac muſcoſo & ſcabro, intus viridi, qui in ſe includit os pergrande, durum, craſſum & ſubflavum, quod intus alba, craſſiola & duriola carne obductum eſt, & in medio capacitate ſatis grandi nucleis decem, undecim, plus, minus ſine interſepimentis intermediis repletum; ſuntque nuclei primùm cortice craſſiolo, molli, albicantes & flaviuſculis pilis obſiti, forma irregulares & anguloſi, intus repleti medulla alba, quæ primùm liquida eſt & mucilaginoſa, dein cùm planè maturi, obtecti ſunt nucamento oſſeo ſcabro, ſuntque tum forma oblongo-anguſto-rotundi & cuſpidati, intus oleoſi.

Fructus ac præſertim *Nuclei* gravis & ſylveſtris odoris ſunt, qui in in foliis eſt debilior.

Flores hæc arbor toto anno uberi proventu fert, ut & *Fructus* copioſos.

VIRES EJUS.

OLeum quod ex *Seminibus Fructuum* educitur, proficuum eſt pro doloribus ſedandis, ſanatque corpus ſcabioſum ac partis affectæ pruritum tollit facta perunctione. *Idem Oleum* quoque oculis ſalſis humoribus infeſtatis, uti ſæpe fit in profuſis lacrymis, conferunt; inſuper *Idem Oleum* cum cinere mixtum commodè apponitur vaccarum cæterorumque jumentorum apoſtematis; cum fructu dicto à Malabaribus *Palega*, mixtum, vermes in ulceribus pedum hominum ſeu brutorum ortos enecat facta perunctione.


FIG. 36.

Hæc quoque cùm ſit ex illis arboribus, quarum nulla ſit, quod ſciam, apud reliquos autores mentio, nominari poterit *Laurifolia Malabarica*, *fructu oſſeo*, *nucleos continente*.

An autem in aliis quoque Indiæ regionibus naſcatur, aſſerere nequeo, præſertim cùm inter plantas meas ſiccatas *Iavanenſes*, *Ceylonenſes*, aliaſque, non reperiatur.

Strychnos Nux vomica.

Fig. 37.



CANIRAM.

FIG. 37.



Aniram quatuor ſpecies, una ejus nominis, ſecunda *Cára-Caniram*, duo *Valli-Caniram*. Fig. 37.

Caniram, ling. Bramanum *Carò*, eſt arbor procera, ramis denſis latè ſparſis, naſcens in arenoſis.

Radix craſſa, ſupra modum amara & cortice flaveſcente.

Caudex ambitu amplexum duorum hominum implens, cortice cinereo-nigricante.

Rami cinerei hinc inde rubeſcentes ac detrita exteriori cruſta flaveſcentes, ſurculi teneriores viridi-fuſci, nodoſi cortice amaro.

Folia in ſurculis bina & bina ex nodis proveniunt ſe mutuo in ordine obliquè decuſſantia, ſuntque oblongo-rotunda latitudine maxima in medio, anteriùs rotundo-cuſpidata, ſuperficie plana, virore communi in recta nonnihil nitente, in adverſa ſurdo, ſaporis valde amari, odoris planè agreſtis.

Cum coſta media ex qua hinc inde nervi tenues, tranſverſi ac minus obliquè excurrunt ex petiolo *Coſtulæ* utrinque duæ exeunt, in recta etiam parte nonnihil eminentes, ac obliquo arcuato ductu anteriora verſus excurrunt marginem folii relinquentes, & quidem quæ coſtæ mediæ proximæ, ſunt altè aſſurgunt, ſuntque folia in recta parte nervulis eminentibus cancellatim contextis ſtriata; in adverſa autem venulis ſeu tenuiſſimis nervulis in denſiores cancellos contextis dotata.

Foliis jam tum per intervalla deciduis in illis notis, ac veſtigiis quæ relinquunt, nulla nova folia redeunt, *foliaque nova* & *tenella* tantùm ex ſummitate ſurculorum ſuccreſcentium prorumpunt.

Flores in ſurculis ex nodis umbellatim proveniunt, ſuntque parvi, quatuor, quinque vel etiam ſex foliorum viridi-dilutorum, cuſpidatorum & craſſiolorum cum pedunculo craſſo, parvo, viridi, calyci arcto quinque foliorum cuſpidatorum inſidentes, forma externa haud diſſimiles caryophyllis, odoris debilis haud injucundi.

Stamina in iis quatuor vel quinque cum apicibus oblongis viridi-dilutis ex pede emicant, ſuntque pedi interiùs inſerti; inter ea ſtylus viridi-dilutus, ſupra apices emicans, qui è globulo viridi in calyce ſito prodit.

Flores cùm in gemmis promicant omnibus foliis vetuſtis arbor eſt ſpoliata, ac cum *Gemmis Florum* ſimul *Tenella Foliola* velut nova germina prorumpere conſpiciuntur.

Fructus, qui ſolitarii, vel etiam duo, tres, quatuor pluresve congregatim ſurculis petiolis curtis appendent, rotunda mala ſunt glabra abſque rugis colore primùm viridi, dein aureo-flavo, carne, cùm immaturi ſunt, albicante & parum aquoſa; cùm maturi, candida & mucilaginoſa, cortice craſſiuſculo & fragili, ſuntque *Saporis* valde amari.

Semina, quæ intra carnem fructus conſita ſunt, forma rotundiola, plana ac compreſſa, cum planis ſuis ſuperficiebus jacentia in longitudine fructus, cortice, cùm immatura ſunt, argenteo parùm ad ſpadiceum vergente, maturi cortice exteriori inſtar *Veluti* viridis; ſuntque pulpa valde amara.

Tota arbor ob *Amaritudinem* celebris.

Flores fert tempore æſtivo, pluvioſo *Fructus*.

VIRES EJUS.

R*Adix* decocta & epota purgativa eſt, humores per inferiora evacuans, quomodo etiam prodeſt pro febribus pituitoſis, doloribus colicis, inteſtinorum torminibus, ventris fluxibus eaſdem quoque vires habet, ſi in infuſione detur, vel ſi ejus decoctum cum momento piperis ſumatur; conducit in podagra, ſi cum ejus decocto pars affecta ungatur, confertque ſedandæ vertigini capitis, atque etiam in atra bili, ſi ejus decoctum cum lacte vaccæ mixtum ad delibutionem capitis adhibeatur. *Cortex* contritus & mixtus cum aqua, in qua fuit oryza, flavæ bilis fluxum reprimit. *Folia* decocta rheuma ſeu catarrhos ſiſtunt, facta lotione corporis. *Succus* ex *Foliis* expreſſus ac in decocto datus capitis dolores ſedat, largiùs epotus veneni vires habet mortem inducens, in ſtercore hominis comeſto ſalus eſt. *Flores* ſedant dolores unguium, ſi triti ac in oleo *Coqui Indici* cocti iis apponantur.

Uſus *Seminum* in *Fructibus* per duos annos continuatus, ſumpto ſingulis diebus uno aut duobus numero, efficit ut morſus venenatus colubri, vulgò *Cobra Capella* dicti, nullas noxas adferat.

FIG. 37.

Malus Malabarica folio & fructu amaricante, ſemine plano compreſſo, commodè hæc ab aliis non deſcripta arbor, vocari poſſet.

Coluber autem ille venenatus, ſive *Cobra Capello* Luſitanorum, cujus morſus ſemina hujus mali ſanare, referunt Autores, frequentiſſimus eſt in Inſula *Zeilan*, & præ aliis venenatus, vocaturque ibidem *Naja & Naghaja*: obtinetque illud particulare, quod in poſteriori colli parte, conſpicilli figuram gerat, diſtinctis coloribus expreſſam: uti quoque in ipſius exuviis, in Porticu Horti Academici ſuſpenſis, videre licet. Quas anno præterito, munere Domini *Hermans*, cum aliis rarioribus accepimus.

N I-




Fig. 38.
Nilicámaram. lat.
നെല്ലിക്കാമരം. mal.
Arab.
bram.

NILICAMARAM.

FIG. 38.



Ilicamaràm, lingua Bram. *Anvalì*, eſt arbor altitudine quatuor hominum, ramis denſis tranſverſum diffuſis, naſcens in arenoſis & petroſis. Fig.38.

Radix craſſa eſt, plurimis capillatis fibris ſe terræ affirmans cortice nigricante, quæ ſub cruſta nigricante intus nonnihil rubeſcit.

Caudex amplexum unius brachii ambitu implens, cortice nigricante ut & rami.

Folia, quæ in ſurculis tenuibus, rotundis ac ſpithamam & paulò amplius longis, qui hinc inde è ramis vel ſolitarii, vel bini, terni, vel quaterni ex eodem nodulo exoriuntur, breviſſimis petiolis proveniunt, in duabus ſeriebus tranſverſim & paulo obliquè anteriora verſus reclinata, & cum planitie ſuarum ſuperficierum ſurculos medios ſecantia, ſuntque parva, oblonga & anguſta, latitudinis ubivis uniformis, plana, tenuia, ſolida ſeu denſæ texturæ, una tantum venula in medio ſtriata, in recta parte virore fuſco, in adverſa claro-diluto, ſuntque tempore veſpertino ſeu nocturno, quæ in eadem ſerie ſunt clauſa ac ad ſe mutuo decumbentia, ad pedunculos autem ſingulorum foliorum cauliculi punctis cuſpidibuſque utrinque è latere emicant, quo ipſo maximè cum foliis nudati ſunt, ſcabri & aſperi apparent.

Flores qui cauliculis foliaceis, maximè in eorum inferiori parte, ut & ramis, ex quibus cauliculi foliacei prodeunt, plures congregatim inſident, parvi ſex foliorum anguſtorum albicantium, habentes in medio ſtamen albicans cum nodulo ſeu apice flavo, qui poſtmodum obſcurè rufeſcit, odoris nullius.

Gemmæ Florum rotundæ & albicantes.

Fructus, qui floribus deciduis, ramis & ſurculis arctè inſident, ſunt plano-rotundi, duri viridi-diluti, etiam cùm maturi ſunt ac nonnihil tranſparentes, ſex ſubtilibus venulis quæ in verticem concurrunt, in longum ſtriati, carne ſucci plena, tranſparente ac viridi-diluta, quæ ſaporis eſt acidi, delectabilis & ſubadſtringentis, ſuntque in eduliis; ſuntque ſurculi foliacei, quibus fructus inſident, parte inferiori foliis nudati.

In medio fructuum *Oſſiculum* eſt durum, lignoſis filamentis obſitum, ſex lateribus rotundiolis, quorum tria oppoſita magis prominent, conſtans, ac per ſex intermedia interſtitia, quæ angulis

adſtricta ſunt, in ſex capſulas, in quibus ſingulis unum ſemen continetur, diſtinctum, ſunt autem

Semina parva, triangularia, duobus lateribus rectis & uno rotundo circumſcripta, primùm albicantia, dein coloris rubri-obſcuri ac nitentis.

VIRES EJUS.


DEcocta in aqua ſervit pro morbis endemiis. *Folia* ejus tenera & in lacte acido epota conferunt fluxui dyſenterico. *Fructus* exſiccati & in pulvere cum lacte acido ſpiſſo dicto *Tayr* dati quoque in dyſenteria proſunt. *Iidem* in decocto dati proficui ſunt pro febre calida, uti & pro ardore pectoris, cum ſaccharo decocti & epoti vertiginem capitis ſedant. *Aqua*, quæ ex *Fructibus* diſtillatur, epota ardori jecoris reſtinguendo convenit.

FIG. 38.

Arborem hanc denominare placuit, *Acaciæ foliis Malabaricam, fructu rotundo, ſemine triangulo.* Imò planè non vererer ad *Acaciam* referre, ni fructus obſtaret, qui nullam cum ipſa affinitatem obtinet. Proveniunt autem cùm in aliis Indiæ regionibus, tum præſertim in Inſula *Zeilan*, variæ *Acaciæ* ſpecies, Europæis hactenus incognitæ. Præter enim legitimam ſive *Ægyptiacam*, quæ *foliis Scorpioidis Leguminoſo C. Bauhino* dicitur: Alteram *flore pulcherrimo Cat. Paris.* quæ *Americana* dici conſuevit, & *Farneſianam Aldini*; frequens ibidem naſcitur *Acaciæ* genus, floſculos ferens luteos racematim cohærentes, ſiliquis majoribus latis, planis, *WWawulathya Cingalenſibus* dictum, à *WWawulæ*, id eſt, veſpertilione, quod ejus ſpinulæ ſimiles ſint unguiculis veſpertilionum, quibus tanquam hamulis, arborum ramis, in Indiâ obſervantur affixæ. Huic quoque floribus non diſſimilis, ſiliquis oblongis minoribus, quibus ſemina majora exteriùs inſigniter protuberantia conſpiciuntur, in ſylvis paſſim creſcit, vocaturque *Cingalenſibus Cathukaraba*, à gratè acido foliorum ſapore. Prætereaque *Acaciæ* foliis nonnullæ aliæ obſervantur, inter quas hæc ab Autoribus deſcripta, etiam numeranda venit.



ODAL-


Cerbera Manghas.
Fig. 39.
Odallam. lat.
ഒതളം mal.
Arab.
bram.

O D A L L A M.

Cerbera manghas L. sp. 303

FIG. 39.

*Dallàm*, lingua Bramanum *Urò*, eſt arbor altitudine duûm triumve hominum, naſcenſque in arenoſis. Fig. 39.

Radix fibras capillatas in latum ſubtus terram emittens, cortice albicante ſubdulci & ſubamaro.

Caudex craſſus, unius hominis amplexum ambitu implens ramoſque tortuoſos diffundens, ligno molliſſimo cum corculo intus rufo, cortice lacteo-cinereo-fuſco, qui amarus & mordax eſt; in ſurculis teneris cortex exterior viridi-fuſcus, ac lignum ex filamentis minus tenacibus conſtans: corculum intus viride & humidum.

Folia, quæ hinc inde in ramis & ſurculis petiolis craſſis, in interiori parte planis ac viridi-dilutis & lacteis proveniunt, anguſto-oblonga ſunt, ac linguiformia ad petiolum ſtricta, anteriora verſus latiora, ac in cuſpidem brevem & anguſtam, quæ verſus adverſam partem nonnihil reflectitur, contracta: ſuntque textura craſſa, ſolida, lactea, mollia, ſuperficie lenia, glabra & nitentia maximè in parte recta, ubi viroris ſunt fuſci, ſapore amaro & pungente.

E coſta media, quæ craſſa eſt & viridi-diluta & albicans, & in adverſa tantum eminet, *Nervuli* valde ſubtiles intra folium & parum in adverſa extuberantes tranſverſo ac parallelo ductu exeunt *Venulis* ſubtiliſſimis intertexti.

Flores, qui umbellatim proveniunt in petiolis longis, craſſis, languidis, lacteis, viridibus, qui ſupra ex ſummitate caulis erumpunt, ſunt quinque foliorum albiſſimorum, cuſpidatorum, quæ inferiora verſus contractiora ſunt, cum uno latere latiùs excurrentia, atque in parte, ubi minùs excurrunt & rectiori ora ſunt, craſſiora, & in unguiculis colore flavo ſeu croceo, inſidentque cum pede craſſiolo viridi diluto calyci, qui quinque foliis oblongo-anguſtis, cuſpidatis, craſſiolis, interiùs albicantibus, exteriùs viridi-dilutis conſtat; ex medio florum emicant *Stamuncula* tenuia, quinque, quæ craſſiolis, flavis, ſtriatis ac ſurrectis apicibus juxta unguiculos foliorum dotata ſunt, ac pedi interiùs inſerta, & cum iis ſtylus tenuis, liber, albicans cum nodulo craſſo ac pyriformi in vertice ex primordio fructus qui infra calycem eſt, prodiens; floribus cum ſuis pedunculis è calyce deciſis ſuccedunt.

Fructus, qui petiolis craſſiolis, longiuſculis, languidis ac pandis appendent, ſuntque mala grandia oblongo-rotunda & nonnihil

plana, ac in parte ubi magis compressa, tenui sulco in longum striata, pondere valde levia, cùm parvula, ac teneræ ætatis, oblongo-angusta; constantia cortice exteriori tenui, glabro, lacteo & viridi-flavescente; ad corticem intus pulpa tenui, albicante & lactea, quæ saporis est aquei.

In medio os est grande, referens nonnihil exemplar cordis humani, constans nucamento duro ac osseo, quod exteriùs sub pulpa mali lato interstitio filamentis lignosis & albis reticulatim pertextum ac inter cancellos fungosa albicante pulpa stipatum est ac pulpa corticis circumdatum, includitque nucleos duos albos, candidos, qui intersepimento crasso, duro & cartilaginoso extuberante ac nucamento osseo affixo, à se mutuò sejuncti sunt, suntque nuclei forma oblongo-rotundioli cum sua longitudine siti in longitudine corculi; una parte, qua intersepimento adjacent, plano, altera rotundo & parùm convexo latere, ac majori crassitie ad basim ossei nucamenti, saporis amari, in teneris autem nucleis pulpa sub cortice candido est instar albuminis ovi, seu mucilaginis claræ ac pellucidæ, quæ etiam subamara est.

Apud hosce Medicos non est in usu.

FIG. 39.

Hanc arborem, *Mangas* vulgo dictæ arboris, esse speciem, siquis pronuntiaverit, à vero non aberraturum crediderim. Verùm cum Botanologi plures recenseant, easque vix nisi nominibus describant, vix videtur assignari posse, ad quam demum hæc referri debeat vel possit. Interim nobis erit *Persica similis angusti folia, osse cordis humani figura, binos nucleos continente.*

Transmiserat quoque jam sæpius laudatus Dominus *Hermans* hoc anno, ex *Zeilan*, ad Excellentissimum & Illustrissimum Dominum *de Beverningh* quarumvis scientiarum, & imprimis Botanices Patronum & Mœcenatem summum, illud *Mangas* genus, quod ab *Acosta Mangas Bravos*, & fructu venenato à C. *Bauhino* dicitur, verùm molestiarum itineris, & cœli frigidioris impatiens, fermè exaruerat, antequam ad has oras appulisset.

MAIL-


Mail-anschi lat.
മയിലാഞ്ചി Mal.
Arab.
bram.

MAIL-ANSCHI.

FIG. 40.



Ail-Anſchi eſt arbor altitudine trium hominum, ramis denſis & opacis latè ſparſis, naſcens in arenoſis, dicta lingua Bram. *Mety.* Fig. 40.

Radix craſſa & profundè ſe demittens, fibras hinc inde dimittens cortice cinereo ſeu albicante, qui ſub exteriori cuticula rubeſcit, intus albicans eſt.

Stipes ambitu paulo minus amplexum unius hominis implens, eſtque cum ramis cortice cinereo, ligno duro & albicante, intus cortex ramorum minùs vetuſtiorum ſub cinerea corticula virideſcit.

Folia ſurculis tenuibus, brevibus, qui etiam bini, terni, quaterni congregatim ramis craſſioribus erumpunt, bina & bina vel ſolitaria proveniunt, iique breviſſimis pedunculis inſident; ſuntque parva, oblongo-rotunda & anguſta, anteriùs cuſpidata, ſeu etiam rotundiola, ad petiolum ſtriata, contextura tenuia, ſuperficie plana & glabra, viroris communis & nonnihil nitentis, ſaporis ſubamari.

Ex coſta media *Coſtulæ* etiam in recta nonnihil eminentes, quæ arcuatim in ſe invicem incurrunt, exeunt venis nullis conſpicuis intertextæ, ſapore ſubamaro & odore nullo.

Flores proveniunt in ſummitate ſurculorum foliaceorum in parvis, tenuibus, rubris petiolis plures congregatim ac racematim, ſunt autem parvi, odoris haud injucundi, hortenſis, quatuor foliorum ex albicante ſubflavorum, criſpatorum, latiuſculo intervallo à ſe invicem diſtantium, quæ poſtea magis flaveſcunt.

Stamina in iis octo albicantia apicibus grandiuſculis & ſubflavis dotata, quæ bina & bina ex foliorum intervallis emicant; in medio ſe prodit globulus viridi-dilutus & rotundis, qui primordium eſt fructus cum ſtylo albicante in vertice.

Calyx quatuor foliorum cuſpidatorum & viridium.

Floribus deciduis ſuccedunt in racemis *Baccæ* rotundæ

 cum

cum ſpiculo in vertice ac calyce ſuo inferiùs arctè contentæ, ſeminibus numeroſis repletæ, & carne intra ſemina, ſaporis adſtringentis, primùm virides, dein rubeſcentes, poſt nigricantes.

Semina ſunt oblonga, cuſpidata, angulata cum baſi rotunda ad corticem ſita, ac alia in ſuperiori, alia inferiori baccarum cum ſtrictiori parte ſeu cuſpide interiora baccarum reſpicientia, primùm ſubflava, natura fuſca ac nigricantia.

Flores fert ſemel tempore pluvioſo.

VIRES EJUS.


RAdix in decocto data conducit in doloribus pedum ex podagra natis. *Folia* in decocto cum ſaccharo data, ſeu ſimpliciter & in lacte epota conferunt pro ictero. *Succus* ex *Foliis* expreſſus & in lacte vaccæ cum ſaccharo epotus, urinantibus materiam albam & purulentam prodeſt.

FIG. 40.

Lubuit hanc plantam appellare *Oxycanthæ affinem Malabaricam* racemoſam ſubflavo flore. Si cui tamen obſtent ſemina, (quæ an dura ſint & oſſea, vel molliuſcula & membranacea & Autores non addunt) & ad *Rhamni* ſpeciem referre malit, nec cum eo litigabo.



Fig. 41.



CUMBULU.

FIG. 41.



Umbulù ling. Bramanum *Bòn-Varò*, eſt arbor procera ramis ex medio caudice in altùm, minùs verò in latum diffuſis,naſcens in arenoſis. Fig. 41.

Radix albicante & craſſo ac molli cortice, qui ſubamarus eſt, ligno albicante, fibras longas emittens.

Caudex ambitu amplexum unius hominis excedens, veſtitus cortice craſſiolo & molli, qui exteriùs cruſtâ albicante obductus eſt & ſub ea nonnihil viridis, intus albicans odorem calcis æmulum fundens.

Rami & ſurculi cinerei ac nodulis hinc inde interſtincti, teneriores virides.

Folia, quæ longis, rotundis, craſſiolis, languidis, viridibus petiolis bina & bina in nodulis proveniunt ac ſe mutuo ordine decuſſant, oblonga ſunt, in longitudine unam ſpithamam & duos treſve pollices, in latitudine duos palmos æquantia, ad petiolum maximâ latitudine, cùm minora ſunt formæ rotundioris & minùs oblongæ, anteriora verſus ſenſim contracta & in cuſpidem oblongam deſinentia, ſuntque tomentoſâ lanugine obſita, maximè in adverſa & lenia, viroris in recta valde fuſci & parum nitentis, in adverſa clari ac diluti, odoris niſi ſylveſtris, ſaporis amari.

Ex coſta media, quæ *Coſtæ* excurrunt in adverſa parte & ſolùm eminent, ac à margine reflexæ arcuatis ductibus multiplicibus, quibus minores arcus verſus marginem ſuperinducti ſunt, in ſe invicem deferuntur; prope ad petiolum quoque utrinque ex coſta media coſta exit ramos quatuor, quinqueve majores verſus marginem dimittens, ac arcuatim in ſe invicem conducens, ſuntque inter coſtas tractibus ſuis rectam folii partem ſtriantes ac nervis numeroſis tranſverſis intercurrentibus, & ſolum in adverſa parte eminentibus, qui tractibus ſuis rectam quoque partem ſtriant, comitatæ.

Flores in ſummitate ſurculorum plures congregatim breviſſimis pedunculis pandi proveniunt, ſuntque flavi forma

inſtar cucullorum, laciniis ſeu foliis quinque rotundiolis, craſſiolis, quorum unum majuſculum eſt & latius ac cæteris longiùs propendens, quatuor reliqua verſus exteriora reflexa ſunt inciſi, ſupernè ad folia ſeu lacinias latiores quàm parte inferiori, ad calycem atque ad partem folii latioris & longioris magis protenſi & convexioris, coloris interiùs flavo-clari, exterius ubi tenuiter piloſi ſunt, flavo-fuſci, odore nonnihil debili & non injucundo.

Stamina in iis quatuor flavo-albicantia ac nonnihil inflexa verſus folium majus, quæ dotata ſunt apicibus grandiuſculis, flaviuſculis ac inferiori cuculli parte interius inſerta ſunt, duo præ cæteris emicant; inter ea ſtylus flavo-albicans ſuperius bifurcatus conſpicitur, qui ex viridi capitulo, quod in calyce reſidet ac fundamentum fructus eſt, excurrit.

Calyx brevibus in oris eſt cuſpidibus arctè flores includens.

Gemmæ Florum viridi-ſubflavæ, oblongæ, foliis ſupernè in quinque angulos complicatæ.

Fructus, qui calyce florum primum in totum & arctè excepti ſunt ac brevibus pedunculis appendent, oblongo-rotundi, parte ſuperiori craſſiores, hinc inde tuberculis exturgentes, carne intus ſucculenta, flava, ſubdulci & amara, cujus humor expreſſus unctuoſus redditur flavo intenſo ac rubeſcente colore manum tingens, cortice craſſo, primum virides, dein flavo-diluti, odoris quoque debilis, non injucundi.

In medio continetur unum oſſiculum albicans, oblongum, durum, glabrum, pyriforme, ac acutis tuberculis hinc inde eminens, parum nuclei in ſe continens.


Bis in anno fert flores.

VIRES EJUS.


R*Adix* in decocto data addito pauxillo oryzæ prodeſt in febre ſymptomatica comitante podagram ſeu dolorem arthriticum. *Eadem* data in lacte acido vel in Oleo *Sirchelim* proficua eſt pro flatibus & dolore thoracis. *Radicis Cortex* contritus & in aqua decoctus juvat in febre frigida, idem contricus & per toſtionem in pulverem redactus ſervit in podagra facta perunctione partis affectæ. In lacte acido datus inteſtinorum ſedat tormina, ad quod etiam confert ſuccus foliorum epotus.

FIG. 41.

Arbori hîc deſcriptæ nihil eſt quod addam niſi quod appellandam cenſeam *Nucem Malabaricam unctuoſam, flore cucullato.*



Tafl 42 & 43


Fig. 44
Pajaneli. lat.
പൈയ്യാഞ്ഞിലി. Mal
پايغنجيلي. Arab
द्वडेक् bram.

PALEGA-PAJANELI.

FIG. 44.



Ajáneli duæ ſpecies ſunt, *Pálega-Pajáneli*, & *Pajáneli*. Fig. 44.

Pálega-Pajáneli ling. Bram. *Davandicu*, eſt arbor procera naſcens in arenoſis, ramis minùs in transverſum diffuſis.

Radix fibroſa ramos quaquaverſùm emittens cortice craſſo, molli, qui exteriùs eſt ruffus, intus ex viridi flaveſcentis coloris, ſaporis ſubamari, ligno albicante & molli, qui facilè in filamenta protrahitur.

Caudex ambitu unius hominis amplexum implens, cortice cinereo, & rami qui ſub cinerea cruſta virides ſunt, teneriores virides, ſcabri ſeu ob punctula aſperi, grandibus nodis, ex quibus ramos transverſos binos & binos ejiciunt, extuberantes, ſuntque intus corculo fungoſo & albicante, ligno pauco ad corticem, atque adeo valde leves: cùm vetuſtiores ſunt, decidunt, notas relinquentes, in quibus etiam novi erumpunt.

Folia in ſurculis longis interiùs lira ſtriatis, qui ex caudice ipſo vel etiam ejus ramis craſſis in quos diffuſus eſt, prodeunt, ſimplices ac in nullos ramulos diviſi ac quinque ſexve cubitis plus minùs longi ſunt, petiolis curtis ac interiùs ſtriatis bina & bina & numero terna; quina, ſeptena cùm uno folio in extremitate proveniunt, ſuntque forma cordis humani, ad petiolum rotunda ora, anteriùs cuſpide anguſta eminentia, contextura tenuia & mollia, ſuperficie lenia, viroris in recta parte fuſci, in adverſa clari, ſapore ſubamaro & ſylveſt. & odore.

Ex coſta media *Coſtæ* in adverſa ſolùm parte eminentes obliquo annulari ductu exeunt, ac à margine reflexæ in ſe invicem incurrunt, ſuntque comitatæ *Nervulis* tranſverſis in adverſa ſolùm parte eminentibus, ac *Venulis* cancelliformiter in ſe invicem ductis, quæ in adverſa tantùm conſpicuæ intertextæ, odoris gravis.

Flores in apice ramorum proveniunt plures congregatim petiolis craſſiuſculis & viridibus, ſuntque grandes campa-

niformes cum collo oblongo, & ad unam partem nonnihil inflexo, calyce oblongo-rotundo & profundo insidentes, constantque sex foliis crassiolis, quorum quatuor quæ ad concavam colli partem sunt exteriora versus maximè reflexa, duo quæ ex adverso surrecta & minùs inflexa: suntque folia fungosa nullis perducta venis conspicuis, in oris crispa & corrugata duabus pluribusve liris profundis exteriùs in longitudine striata; flores autem sunt coloris maximè interiùs albicantis seu ex albicante subflavi, exteriùs in colli convexa parte foliisque surrectis quæ versus eam partem sita sunt, striis rubescentibus tincti, odore fœtido.

Stamina in floribus quinque crassiola & nonnihil inflexa ex albicante subflava seu viridi-diluta, ac versus folia surrecta jacentia, ac in inferiori parte, quæ crassiora sunt, collo interius inserta seu annexa, geruntque apices incumbentes flavos, latos, ac ad unam partem in duas angustas lacinias contractos; cum staminibus emicat stylus tenuior & albicans, in summitate in planum extenuatus, qui ex plano albicante ac subflavo capitulo, quod rudimentum fructus est, & in fundo calycis situm erumpit.

Calyx crassiolus laxè collum floris excipiens in ora parùm cuspidatus ac ad concavam colli floris partem viridi-albicans, ad convexam rubro-obscurus.

Gemmæ florum oblongo-rotundæ primùm virides, dein cùm se ex calyce magis produnt, apice rubro-obscuro.

Fructus, qui floribus deciduis succedunt, prægrandes sunt, formâ velut machæræ, tres spithamas longi, lati unum palmum, crassi unum ferme digitum cum oris ad unam partem nonnihil reflexis constantes cortice crassiolo viridi, qui exteriùs viridi-fuscus est, ac dein magis infuscatur, interiùs primùm viridi-dilutus seu albicans, tenera ac humida carne, quæ dein in lignosam duritiem evadit, ac flavum colorem assumit obductus, suntque in cortice exteriùs in medio in longum in utraque parte uno sulco striati.

Interiùs in medio fructus latum *filamentum* est, juxta ejus latitudinem in planum extensum, quod primùm tenerum & albicans, dein cùm siccum, quoque duriolum ac velut coriaceum est, estque tum velut lingua distinguens fructum in duo loculamenta, in quibus singulis semina innumera continentur.

Semina

Semina autem lato-rotunda & valde plana ſeu compreſſa cum umbilico longiuſculo membranaceo albicante involucro amicta, & lata membrana pellucida albicante circumcincta, jacentque ſeriatim in planum in ſuis involucris, alia proximè ad unam, alia ad alteram oram; nudata ſuis involucris viridia ſunt & denſæ carnis, ſaporis nullius.


VIRES EJUS.

CORtex arboris ſervit pro conſolidandis fracturis & ſciſſuris tritus & cum vino appoſitus. *Radix* in decocto data in hydrope prodeſt. *Eadem* cum oleo decocta ad capitis corporisque malè affecti unctionem adhibetur. *Folia* tenella trita & unà cum *Croco Malabarico* ulceribus admota ad ſanationem conferunt.

FIG. 44.

Mirandum hanc arborem, *Ceylonenſibus* quoque eſſe indigenam, ejus ſiliquæ inde ad me transmiſſæ teſtantur: adhærent illæ quatuor uni pediculo, & tres ferme pedes longitudine; latitudine autem, dimidium æquant. Cum autem præter nomina à noſtris Autoribus exhibita, alia expiſcari nondum licuerit, vocandam cenſeo, *Arborem ſiliquoſam Malabaricam, cordato folio, fructu maximo oblongo plano, ſemine membranaceo.*





F. 45.
Pála. lat.
പാല Mal.
Arab.
bram.

PAJANELI.

FIG. 45.



Ajáneli, quæ eſt ſecunda ſpecies ling. Bram. *Davandicù*, eſt arbor procera, ramos in altum, minùs verò in latum diffundens, naſcens in arenòſis. Fig. 45.

Radix latè ſparſa, cortice craſſo, aqueò, cinereò-nigricante, intus albicante, ſaporis ſubamari, in ramos ſparſi, ex quibus hinc inde novi ſtirpes circa medium caudicem expullulant, ligno albicante & minùs densè contextò, quod in filamenta facile protrahitur.

Caudex ambitu amplexum unius hominis adimplens, ligno quoque fragili & in filamenta ſe findente, cortice quoque cinereo-fuſco.

Surculi qui foliis veſtiti ſunt è caudice egrediuntur, ſuntque ſimplices in nullos ſurculos diviſi, quinque, ſexve ambitus plùs minùs longi, viridi-diluti & nonnihil ſcabri ſeu punctulis aſperi, rotundioli ac in una parte, quæ cum interiori foliorum convenit, angulo acuto eminentes, nullis extuberantes nodulis, ut illi primæ ſpeciei, intus etiam fungoſi & albicantes, ligno pauco ad corticem, atque adeo valde leves: ſurculi novi è ſummitate caudicis tantùm erumpunt, inferioribus vetuſtis deciduis, ac notas relinquentibus.

Folia, quæ in iis ramis paſſim bina & bina, ſeu nonnihil à ſe invicem diſſita petiolis curtis, languidis, interiùs ſtriatis, proximè ad angulum, quo eminent, tranſverſa proveniunt, multo majora ſunt illis primæ ſpeciei, longitudine ſpithamæ & amplius, forma oblonga, laterum difformium, quorum illud, quod caulium faſtigium reſpicit, duplo ferme ampliùs & rotundioris oræ reliquo, ac ex inferiori parte petioli egrediens, anteriùs in cuſpidem anguſtam contracta, in recta parte viridi-fuſca, in adverſa clara, novella autem rubra ſeu hepatici coloris, odoris maleolentis, texturæ groſſioris.

Coſtulæ, quæ ex media coſtà in adverſa obliquo arcuato du-

ctu excurrunt à margine reflexæ multiplicibus arcubus in se invicem incurrunt, ramulos transversos, qui in adversa solùm extant, ac venulis intertexti sunt, ex se distribuentes; suntque folia in costarum nervorumque tractu in recta parte striata.

Flores quoque campaniformes ac similes illis primæ speciei, verùm hi quinque foliis incisi sunt, quorum tria ad concavam colli partem exteriora versus maximè reflexa, duo quæ minus incisa, surrecta & nonnihil reflexa sunt, ac folia multò crassiora, magis fungosa, ac in oris pilosa seu lanuginosa sunt.

Stamina in hisce floribus tantùm quatuor, quæ bina & bina apicibus albicantibus, qui singuli instar duorum linteorum ex summitate dependent, arcuatim à se mutuo inflexa sunt.

Calyx spisso ac mucoso lacte, quo etiam florum exterior superficies inuncta, intus obductus; suntque flores uti folia odoris maleolentis seu fœtidi.

Fructus plane iidem.

VIRES EJUS.

F*Oliis* ejus pinsis & tritis & unà cum *Carécca*, id est *Mirabulano* Citrino maceratis in pirulis utuntur ad tingenda linteamenta colore nigro, quæ in suis exequiis gerunt.

Radix trita & decocta in oleo pro capitis dolore servit facta perunctione, quo modo usurpata catarrhos & quoscunque humores pituitosos caput obsidentes educit. *Cortex* radicis in decocto datus tumoribus resolvendis commodus est. Decoctum ex *Cortice* & *Foliis* simul tritis in unctione corporis pro pustulis ac ulceribus servit.

FIG. 45.

Cum hæc arbor à præcedente non nisi foliorum figurâ, & situ, & quadantenus flore differat, fructu autem & semine conveniat, hinc nobis erit *Arbor siliquosa Malabarica, folio majore mucronato, fructu maximo, oblongo, plano, semine membranaceo.*

Tabernemontana alternifolia.

Fig. 46.



PALA.

FIG 46.



Ala quatuor ſpecies ſunt, quarum una ejus nominis, ſecunda *Cúrutu-Pála* tertia *Códaga-Pála*, quarta *Caicottèn-Pála*. Fig. 46.

Pála ling. Bram. *Santenù*, eſt arbor valde procera, ramis tranſverſum latè ſparſis, naſciturque in arenoſis.

Radix profundè terram intrans, radiculaſque ſuas latè diffundens, cortice flavo-obſcuro ſeu rufo, qui lacteus & valde amarus eſt.

Caudex craſſus duûm triumve hominum amplexus implens, eſtque cortice cum ramis cinericeo ac lacteo & ligno levi; rami veteres è nodis plerunque tres quatuorve ſurculos diffundunt.

Folia terna, quaterna, quinave ſimul ſurculorum ſummitati in nodo inſident tranſverſum in orbem expanſa, ſuntque forma oblongo-rotunda, anteriùs rotunda ora ſeu etiam cuſpidata, & ad petiolum ſtrictè contracta ac velut linguiformia, contextura ſolida, denſa & lactiplena, ſuperficie plana glabra ac lenia, in recta parte virore fuſco & nitente, in adverſa valde diluto ſeu albicante ac ſurdo.

Ex coſta craſſa, viridi-albicante, quæ etiam in recta tenuiter & altè in adverſa eminet ac craſſiuſcula & lata eſt, *Venæ* ſubtiles numeroſæ rectà tranſverſim ac parallelo tractu proximè ad marginem exeunt, inde reflexæ in ſe invicem incurrunt, limbum relinquentes in ſuperficie utrinque conſpicuæ rectamque folii partem tenuiter ſtriantes; ſunt autem folia ſapore amaro.

Flores faſciculatim proveniunt in ſurculis nodoſis & viridibus, qui ſupra folia è nodulis ramorum quos complectuntur, rectà prorumpunt, ac plures ut quatuor, quinqueve ramulos ex ſingulis nodulis proferunt ſingulis ramulis quatuor, quinque vel plures ſimul in ſummitate inſidentes; ſunt autem albicantes, ſubvirides, conſtantes quinque foliis rotundiolis, quæ verſus unguiculos anguſtiora, in oris rugulis criſpata ac rigidè inflexa verſus exteriorem partem,

nullisque venulis ſtriata ſunt, inſidentque pediculo albicante, qui infernè & ſupernè craſſior eſt, calyci arcto quatuor foliorum, ac in umbilico ſeu orificio, folia inſerta ſunt capillulis orbiculatim cinctus; ſuntque odoris jucundi & fortis, ſed gravis, qui catarrhos & gravedinem excitat ac caput offendit, ob quas noxas inviſi ſunt.

Stamina in floribus quinque tenuia pediculo interiùs inſerta & pilis albicantibus obſita, quæ prope orificium ſuperius apicibus flavis & liberis eminent: inter ea ſtylus albicans tenuis ac liber eſt nodulo flavo dotatus, ortum ducens ex capitulo parvo, viridi, quod rudimentum fructus eſt, ac in calyce ſitum.

Gemmæ Florum oblongo-rotundæ & conicæ, ac inter pediculum anguſto circulo conſtrictæ.

Fructus, qui plures congregatim ſurculis appendent, ſunt ſiliquæ oblongæ cubitum ferme longæ, quæ anguſtæ, compreſſæ, ac virides, intus lacte plenæ, in ſe recondentes parva numeroſa ſemina plana, oblonga, cum ſua longitudine jacentia in longitudine ſiliquarum, ac ex anteriori & poſteriori oculo penicillum argenteorum filamentorum ejiciunt in unam ſeriem per filamenta implicita, & colore viridiflavo ſeu rufo ſunt.

Hæc arbor tota lactea eſt, quod & cæteris ſpeciebus eſt commune.

Flores fert ſemel in anno in *Januario*.

VIRES EJUS.

Cortex ejus tuſus & in decocto datus commodus eſt ventri leniendo, ſtomacho roborando flatibusque diſcutiendis ac ardoribus jecoris reſtinguendis; idem in decocto datus addito momento ſalis & piperis ſtomachi concoctionem adjuvat. *Idem* tritus & ſimpliciter in aqua calida epotus prodeſt in febre frigida, & hoc modo etiam lumbricos enecat. *Idem* tritus unà cum aqua & ulceri appoſitus ad ejus ſanationem & purgationem confert, quo modo uſurpatus etiam prodeſt pro dolore arthritico. *Corticis* decocti vapor exceptus in parte affecta dolorem mitigat. *Idem* Cortex cum ſemine *Cudù-Pariti* coctus in oleo auribus malè ſeu graviter audientium proficuè inditur.

FIG. 45.

Cur hæ plantæ, quæ *Palæ* nomine veniunt, ſub una eademque Claſſe militent, vix comprehendere poſſum, cum toto cœlo inter ſe differant, ut ex foliis, flore, & ſemine liquet: anſam potuit huic rei præbuiſſe, quod cùm omnes eodem modo lac præbere viderent incolæ, hinc ad unum genus retulerint: vocabitur ergò nobis prior, *Arbor Malabarica Pentaphyllos, lacteſcens, ſiliquis anguſtis, longiſſimis.*

Nerium. antidysentericum.

F. 47.



Códaga-pála. lat.

കൊടകപ്പാല. mal.

Arab.

bram.

CURUTU-PALA.

FIG. 47.



CUrutu-Pála, quæ ſecunda ſpecies Pála eſt, ling. Bram. Cudò, eſt arbor humilis altitudine unius hominis duorumve naſcens in arenoſis. Fig. 47.

Radix minùs demiſſè ſubſidet, radices laterales latè quoque diffundens, cortice ſubflavo ac lacteo, qui ſaporis eſt ſubamari & pungentis.

Stipes pedem craſſus evadit, eſtque cortice lacteo fuſco & in ramis cinereo.

Folia, quæ petiolis brevibus ac craſſis in ramis & ſurculis proveniunt, oblongo-rotunda ſunt, ad petiolum contracta, & anteriùs in cuſpidem oblongam deſinentia, contextura quoque ſolida, lactea, virore in recta fuſco & nitente, in adverſa minus claro ſeu albicante.

Ex coſta, quæ in recta etiam parte nonnihil eminet ac albicans eſt, plures Nervuli albicantes ac in adverſa ſolùm parte eminentes obliquo annulari & ſatis parallelo tractu exeunt, proximè ad oras excurrentes, qui in recta parte tractûs ſui veſtigia relinquunt, ſuntque venulis ſubtilibus tranſverſis, qui folium ſubeunt, comitati.

Flores proveniunt in ſuperiori ſurculorum parte in petiolis lacteis, rotundis, tenuibus & languidis floribus primæ ſpeciei majores in totum albi ſeu candidi, conſtántque quinque foliis oblongis, quæ ad pedem unguiculis ſtrictis ac ad unam partem inflexa oris ex inflexura exterioribus magis rotundis, extenuatis ac criſpis ſunt, ac in medio craſſiola nulliſque venulis ſtriata, ſuntque ſuccincti quinque foliis viridi-dilutis & cuſpidatis.

Stamina in floribus quinque interiùs pedi florum inſerta, ac apicibus flavo-albicantibus dotata, ac inter ea ſtylus viridi-dilutus & albicans ac bifidus, ac in utraque cuſpide communi dotatus nodulo è globulo oblongo-rotundiolo ac viridi, qui fructus germen eſt, erumpens; ſuntque flores odoris grati & debilis.

Fructus in petiolis plures congregatim, ac bini & bini

ex tranſverſo prodeunt, ſuntque oblongo-rotundi, exteriùs cuſpidati ac verſus inferiora maximè cum cuſpide inflexi duobus lateribus rotundis, quæ acuto margine coëunt, conſtantes, ac ſuperiori latere protuberantes, ſuntque cortice craſſo & lacteo, primùm viridi-obſcuro, dein cùm maturi ſunt, exteriùs colore flavo-aureo, interiùs flavo-diluto, aperiuntque ſe in ſuperiori latere, ubi ſutura in longitudine per medium ſtriata ſunt.

Semina intus quinque, ſex, ſeptemvè continentur cum filamentis velut ungulis juncturæ appendentia, ſuntque oblonga, figura valde irregulari accommodata ad aliorum ſeminum circumpoſituram; cùm immatura ſunt, intus aquoſa & viridi-diluta, matura membranula exteriore corallina obducta, ac intus conſtantia oſſiculo fuſco minùs duro in quo nucleus albus continetur.

Flores hæc arbor fert *toto anno*, maximè tempore pluvioſo.

VIRES EJUS.

R*Adicis Cortex* tritus & epotus in aqua calida fluxum ventris ſiſtit ac prodeſt in dyſenteria in lacte datus. *Idem* tritus cum aqua & apoſtematis appoſitus ea reſolvit.

FIG. 47.

Secundam hanc *Palæ* ſpeciem vocare lubuit *Arborem Malabaricam lacteſcentem, fimbriato flore, fructu circa cuſpidem reflexo.* Huic autem non multum abſimilis eſt, quæ nomine *Kiridiwæl*, ex *Ceylon* fuit tranſmiſſa, fructu mentulam ſimiæ referente, unde & ei nomen.




Fig. 48.

Tinda-párua. lat.

തണ്ട പറുവ *mal.*

[illegible] *Arab.*

पावाड़ी *bram.*



CODAGA-PALA.

FIG. 48.



Odaga-Pála, quæ tertia ſpecies eſt Pála, ling. Bram. Ategò-Cudò, eſt quoque arbor humilis, altit. ut Curutu-Pála, naſcens in arenoſis. Fig. 48.

Radix minùs ſubmiſſè ſe demittit, fibras latè diffundens, cortice rubro-fuſco & lacteo, qui ſaporis amari & minùs pungentis.

Stipes quoque pedem craſſus evadit cortice rufo & lacteo, rami autem cinereo.

Folia, quæ bina & bina petiolis curtis & viridibus proveniunt, maximè conveniunt cum foliis ſecundæ ſpeciei, utpote oblongo-rotunda, anteriùs cuſpidata, lactea; nervi quoque ex coſta, quæ in utraque parte eminent, obliquo, annulari ac parallelo tractu excurrunt in adverſa ſolùm parte eminentes, verùm hæc majora ſunt & latiora ac contextura minùs ſolida, ac venulis numeroſioribus inter nervos tranſverſos intus pertexta.

Flores, qui ſupra ex origine foliorum uncialibus petiolis proveniunt, etiam candidi ſunt quinque foliorum oblongo-rotundorum & anguſtorum, ac ad unam partem inflexorum, quæ textura denſa & craſſiola & in oris haud criſpata ſunt cum pedunculo longiuſculo candido calyci arcto inſidentes, ſuntque odoris jucundi & fragrantis.

In medio unus *ſtylus* ex orificio ſuperiori pedis emicans cum ſtamunculis quinque parvis ut in fl. *Pála*.

Siliquæ quoque oblongo-anguſtæ ſunt ac ſimiles illis *Pala*, ſed craſſiores ac minùs compreſſæ, virides, ſpithamam plus minùs longæ intus quoque lactiplenæ.

Semina, quæ quoque numeroſa in ſe recondunt, ſunt etiam plana & oblonga, ac paulo majora illis *Pala* cum ſua longitudine jacentia in longitudine ſiliquarum, ac ex ſolo anteriori oculo penicillum argenteorum filamentorum eminentia, ac per filamenta in unam ſeriem implicita, colore, cùm vetuſtiora ſunt, viridi flavo ſeu rufo.

VIRES EJUS.

C*Ortex* contritus & epotus in lacte acido sistit fluxum ventris. *Cortex radicis* proficuus est pro fluxu ventris quocunque, sive dysenterico sive lienterico, uti & pro fluxu hæmorrhoïdali, eodem modo sumptus. *Idem* in aqua decoctus & epotus servit pro tumoribus corporis. *Radix* trita & cum aqua, in qua oryza lota fuit, decocta, confert pro angina gutturis & colli facta lotione, servit quoque pro tumoribus corporis eod. modo usurpata, uti & pro dolore arthritico partibus affectis apposita, dentium quoque dolores sedat, vermes in iis enecando, ejus decocto in ore detento. *Semina* in decocto data prosunt in febre calida, uti & ardore jecoris ac in podagra; lumbricos quoque enecat.

F I G. 48.

Huic denique *Palæ* speciei nomen indidimus, quod sit *Arbor Malabarica lactescens, jasmini flore odoro, siliquis oblongis.*

Mirum autem videtur Autores nostros, nullam ulterius mentionem facere quartæ speciei, quam sub initium Cap. *Palæ Caicotteu Pala* appellârunt, studio autem an casu illud evenerit, incertum est, cùm nec descriptio, nec figura, inter transmissas schedas fuerit inventa.



Cávalam. *lat.*

കാവളം *mal.*

Arab.

बेकसा *bram.*



TINDA-PARUA.

FIG. 49.



Arua duæ ſpecies ſunt, *Tinda-Parua*, & *Ana-Párua*. Fig. 49.

Tinda-Párua ling. Bram. . . . . . . eſt arbor procera, naſcens in arenoſis.

Radix, quæ fibris terræ ſe affigit, cortice craſſo, albicante ac ſubflaveſcente, molli, lacteo, ſaporis aſtringentis & ligno albicante.

Stipes ambitu unius hominis amplexum implens, cortice cinereo ſublacteo, ut & rami & ſurculi, qui ſub corticula exteriori viridi-fuſci ſunt.

Folia, quæ brevibus petiolis hinc inde inſident, oblongo-rotunda, anteriùs nonnihil cuſpicata, ad petiolum contracta, in margine denticulis tenuiter inciſa, intus ſublactea contextura rigida ſeu dura.

Ex coſta media, quæ etiam in recta nonnihil eminet, at magis in adverſa *Coſtæ* laterales egrediuntur, quæ à margine arcuatim reflexæ in ſe invicem deferuntur, ſuntque nervis intercurrentibus intertextæ, ac in adverſa ſolùm parte, quam ſcabram reddunt, ſolùm eminentes; folia col. in recta viridi-fuſci, in adverſa viroris communis.

Flores in capitulis plano-rotundis, quæ petiolis ſimplicibus curtis ſurculis hinc inde inſident, ut gemmæ plures unitæ prodeunt, ſuntque quatuor foliorum cuſpidatorum, viridi-dilutorum.

Stamina in iis quatuor ex foliis longè emicantia, quæ ſingula in cuſpide uno nodulo albicante grandiuſculo ſunt dotata. Stylus in medio breviſſimus cum capitulo albicante.

Fructus ſunt baccæ rotundiolæ quæ ſuo calyce quatuor foliorum primùm arctè obtectæ ſunt, & è vertice ſtylum bifurcatum ejicientes, corticis tenuis, primùm virides, dein albeſcentes; cùm maturæ, colore rubicundo & parùm nitente; unum capitulum gemmeum nonniſi unum fructum profert.

In fructibus ſub cortice exteriori tenui unus *Nucleus* rotundus, viridis, qui proprio nonnihil cartilaginoſo rufeſcente cortice tegitur, continetur.

VIRES EJUS.

E*Jus* decoctum in lotione corporis ſervit pro febre calida. *Radix* confert pro morbo ſacro trita & cum aqua oryzæ in lotione adhibita. *Eadem* trita apoſtematis apponitur: folia decocta proficua ſunt pro doloribus quibuſcunque parte affecta cum iis linita; eodem quoque modo juvant in puerperis.

ANA-PARUA.

A*Na-Párua*, quæ ſecunda ſpecies eſt *Párua*, ling. Bram. *Bendarli.*


FIG. 49.

Prior hæc *Parvæ* ſpecies appellanda videtur *Arbor Malabarica Baccifera, cortice albicante, glomerato flore.* Alteram autem ſpeciem, quæ *Ana Parva*, cum nomine tenus, ſub finem hujus capitis attingant Autores noſtri, ejuſque nec deſcriptionem, nec figuram exhibeant, hinc & plurà de ea addere non licuit.



CAVA-

Evia amara Bl.



CAVALAM.

FIG. 50.


Avalam, ling. Bramanum, *Bencarò*, eſt arbor procera ramis denſis tranſverſim ſparſis, naſcens in petroſis & arenoſis. Fig. 50.

Radix craſſa rectà in terram ſe demittens ac hinc indè à latere ac ſubtus fibris veſtita, cortice albicante ſeu cinericeo & craſſo, ac minùs duro, qui ſaporis eſt aquei & ſubamari.

Caudex craſſus unum circiter hominis amplexum, ac craſſo indutus cortice, qui exteriùs cinericeus ac ſubcinericeo-viridis, intus ex viridi albicans ac humidus, ligno albo, quod confractum in filamenta protrahitur.

Folia, quæ hinc inde petiolis mediocriter longis, rotundis, viridi-claris & ad exortum atque ad folium extuberantibus proveniunt, oblongo-rotunda ſunt, longitudine unam ſpithamam cum duobus tribuſve pollicibus æquante, quæ ad latitudinem ferme eſt tripla, rotundis ad petiolum oris & tenuiter contractis, ac anterius in mucronem parvum, qui verſus unam partem paſſim reflexus eſt, conſtricta, craſſitie mediocri, plana, lenia, glabritie in parte recta nitente, colore viridi-obſcuro in utraque parte, at in recta virore fuſciori, odore agreſti.

Ex coſta intermedia *Coſtulæ* viridi-claræ in adverſa parte eminentes obliquo ductu anteriora verſus exeunt cum ea in recta etiam conſpicuæ ac à margine in plures arcus minores incurvantur, qui nervulos tranſverſos hinc inde diſtribuunt: ſuntque folia inter hoſce nervos ſubtilis texturæ, utpote venis ſubtilibus intertexta.

Flores faſciculati proveniunt in petiolis ramoſis, viridibus & piloſis, qui vel ſolitarii, vel etiam bini & bini ex ſuperiori parte ſurculorum erumpunt: ſuntque parvi, conſtantes quinque foliis anguſtis & cuſpidatis cum ſuis cuſpidibus interiora verſus inflexis; ac mutuo ad unum nodulum unitis & clauſis quo roſam feneſtratam repræſentant; ſunt autem folia oris exteriora verſus inflexa, ac utrinque ad oras pilis tranſverſis longiuſculis obſita, exteriùs viridi-

 fuſca

fusca ac subruffa, interiùs ex viridi-flavescentia oris valde lenibus rubro-fuscis, quæ instar rubri *Veluti* sunt; è medio stamunculum viride exit cum apice seu nodulo crassiolo & flavo.

Gemmæ Florum oblongæ & nonnihil conicæ sunt, pilosæ, virides ac rubescentes; ubi flores in gemmis prorumpunt, foliis omnibus nudatur arbor, quæ cùm fructibus rursùs resumit.

Fructus, qui crasso communi petiolo pedunculis crassis, bini, terni, quaterni, quini passim congregatim insident, rariùs solitarii, suntque hi cùm teneri sunt & congregatim plures simul proveniunt, in unum arctè juncti & capitulum, quod totidem laterum, quot numero sunt, ac muscosum seu spadiceum & villosum est, ac ex calyce florum prodit, ac dein relaxato capitulo in transversum cùm justa magnitudine sunt rotundi ac parùm oblongi, cortice crasso ac duro, aurantio qui carne interiori albicante est ac intus membrana lacunosa, cartilaginosa seu cornea ac subflava obductus constantes, ab una parte dorso emicantes, ab altera in ventre sutura ex pediculo per medium in longitudine sulcati, quâ præ maturitate laxata defluit materia viscosa seu gelatina, quæ instar mucilaginis exteriorem fructuum superficiem lubricat eamque hinc inde obducit.

In hisce fructibus, qui lata capacitate sunt, *Fabæ* novem, decem vel minus oris suturæ umbilicis affixæ sunt utrinque quatuor, quinqueve versus dorsum pendentes, suntque crassæ, rotundæ & oblongæ, longitudine unius ferme pollicis ac glabræ, corticibus duplicatis; dum tenella, mollibus & albis; qui exterior cortex instar cuticulæ est tenuis, ac faba matura coloris nigerrimi, in superficie exteriori nitentis, consistentia adeo fragili, ut in minuta frustula velut cortices igne assati ex attritione hiscat; qui interior crassior, duriolus ac puniceus, exteriùs obductus pulpa mucilaginosa & albicante, intus vestitus tenui & subruffa pellicula, quæ nucleum seu pulpam fabæ albam ambit; suntque fabæ tostæ in eduliis.


Flores hæc arbor in anno semel fert in *Februario*.

Apud hosce medicos non est in usu.

F I G. 50.

Hujus arboris nucem integram, copiosissimis seminibus refertam, *Telabo* nomine, ex *Zeilan* præcedentibus annis accepi, quæ tamen licet probe matura, germen nunquam prodidere: flores stercus humanum quodammodo redolere, scribebat D^us^. *Hermans*: & quia hujus attributi nullam faciunt mentionem Autores nostri, hinc etiamnum dubius hæreo, an *Telabo Cingalensium*, non potius sit huic affinis censenda, quam eadem ipsa arbor. Interim cum ad Nucis species pertineat, hinc nomen dedi *Nucis Malabaricæ sulcatæ, mucilaginosæ, fabaceæ*.

Aeschynomene grandiflora Willd. dict.



Agati. lat.

അകത്തി. *Mal:*

اغاطي *Arab.*

अगस्ता *bram.*



AMBALAM.

FIG. 51.



Mbalàm duæ ſpecies ſunt, quarum una ejus nominis, altera *Cát-Ambalàm*, ſeu *Peê-Ambalam*. Fig. 51.

Ambalàm Br. *Godoè-Ambadò*, eſt arbor procera, ramos in altum minùs latè in tranſverſum diffundens, naſcenſque in arenoſis.

Radix longa eſt, fibris permultis capillatis terræ firmiter adhærens.

Caudex craſſus, unius hominis amplexum implens, cortice veſtitus craſſo, ligno molli.

Rami vetuſtiores lignoſi & cinericei, corticeque aſtringente; teneriores autem virides ac cœruleo rore conſperſi.

Folia, quæ in ſurculis teneris ac viridibus ac ad exortum extuberantibus, interiùs ſtriatis paſſim quina, ac ordinatim bina & bina cum uno folio in vertice pedunculis breviſſimis ac interiùs planis proveniunt, ſunt oblongo-rotunda, longitudine ad ſuam latitudinem ferme dupla, anteriùs parva ac contracta cuſpide, ſuntque denſæ contexturæ, mollia, lenia, glabra ac utrinque nitentia, virore ſato, in adverſa autem claro; quæ exortui ſurculorum folia proxima ſunt, minora reliquis, maximum autem quod in vertice appendet.

Ex coſta media *Nervi* in adverſa parte eminentes tranſverſo recto ac parallelo ductu exeunt, in recta, in qua coſta nonnihil eminet, ſolùm conſpicui, excurruntque proximè ad marginem, ubi reflexi in ſe invicem incurrunt limbulum ad marginem relinquentes, ſuntque ramulis eminentibus & cancelliformiter unitis intertexti; folia autem odore ſunt forti, & ſapore acido-delectabili, ut cortex fructus *Mangæ Indicæ*.

Flores proveniunt in ſurculis teneris, viridibus; qui ex ramorum vetuſtiorum ſummitate prodeunt in minoribus ramulis plures congregatim proveniunt, ſuntque teneri hi ſurculi ſaporis acidi & parùm amari, ſimilis ei qui in fructibus *Mangæ*, odore quoque forti & acido: flores autem parvuli

vuli ac albi & velut ſtellulæ quinque vel ſex foliorum cuſpidatorum, quæ oris rotundiolis in cuſpidem contracta, nec non rigidiuſcula & nitentia.

In medio florum *Corculum* eſt flavum, ex ejus orbita ad folia *Stamina* parva, tenuia, albicantia, ac in vertice flavis apicibus dotata emicant decem vel duodecim, prout flores vel quinque-folii vel ſex foliorum ſunt, & ex meditullio corculi quinque vel ſex minutæ cuſpides vel ſtyluli eminent, eſtque corculum primordium fructus.

Calyx Florum eſt pro numero ejus foliorum quinque vel ſex conſtans foliis flavo-albicantibus ac brevi cuſpidatis, ac cum ſuis cuſpidibus inter folia florum ſitus.

Gemmæ Florum rotundæ ſunt, primùm virides, dein albicantes, ſub illud tempus, quo flores prorumpere incipiunt, in gemmis, arbor hæc omnibus ſuis foliis nudatur, ac quamdiu floret, iis deſtituta eſt, cum fructibus rurſus nova folia reſumens.

Fructus in ſurculis, quibus flores inſederunt petiolis longiuſculis, craſſis, languidis, pandis & cinereo-fuſcis, plures congregatim ſeu faſciatim pendent, ſuntque oblongo-rotundi ac duri, ſimiles fructibus *Mangæ Indicæ* vel glandulis noſtris, ut in ſuo viridi cortice ſunt; cùm immaturi ſunt colore viridi-fuſco, ac pulpa ſucculenta, quæ eſt ſaporis acidi, maturi verò coloris viridi-clari, dein ſub-flavi, ac aciditate jucunda guſtui & odoratui, ſuntque indigenis in eduliis.

In medio oſſiculati duro ac grandi oſſe quod totam ferme fructûs capacitatem replet, ac exteriùs nervis lignoſis albicantibus retiformiter ſtriatis contextum eſt; & hinc inde ſub contextura lacunoſum ac punctioni pervium, intus durum.

Duabus vicibus in anno hæc arbor fert *Flores* & *Fructus*; *Flores* in *Januario* & *Julio*.

Bramanis *Godoè-Ambadò*, eſt *Ambadò* dulcis, ſic dicta, quod fructus ſint acido-dulces ac guſtu delectabili.

VIRES EJUS.

FLuxum menſtrui ſuppreſſi promovet, ſi *Radix* pudendis mulieris indatur. *Cortex* ejus tritus & in lacte acido epotus dyſenteriæ ſiſtendæ commodus, ad quod etiam juvat, ſi ejus ſuccus miſceatur cum oryza, ex qua genus panis communi nomine, *Apen* dictus conficitur. *Ligni* decoctum proficuè datur in gonorrhœa. *Foliorum ſuccus* cum fructu arboris trito auribus inditus eorum dolorem ſedat.

FIG. 51.

Cum arborem hanc cum *Mangas* vulgo dicto non exiguam habere ſimilitudinem teſtentur Autores noſtri; idcirco non ineptè ad hoc quoque genus referri poſſe arbitror: præſertim cùm vox *Ambalam Malabarenſium*, & *Ambado Bramanum*, non malè cum *Canarenſium Ambo* & *Perſarum Amba* (quæ *Mangas* vocatur) conveniat. Verùm cùm ut alibi dixi, fructus hic plurimùm variet, ejuſque ſpecies obiter duntaxat ab omnibus autoribus proponantur; & *Mangas* illud aliud genus, quod à *Linſcot.* & ex eo à *C. Bauhino* in *Pinace* exhibetur, non niſi nomine innotuerit, hinc certi aliquid determinare non poſſum. Appellandam interim putem *Mangæ affinem*; *flore parvo ſtellato, nucleo majori oſſeo.*

CAT-


Morinda citrifolia
Fig. 52
Cáda-pilava. lat.
mal.
Arab.
bram.

CADA-PILAVA.

FIG. 52.



Ada-Piláva ling. Bram. *Ma Cáda-Palà*, eſt arbor naſcens in arenoſis & petroſis. Fig. 52.

Radix cortice ſub cruſta nigricante-croceo.

Surculi ſuperiori parte quadrangulati & ſulcis ſtriati, noduliſque extuberantes.

Folia, quæ in ſurculis è nodulis bina & bina & ex utraque parte in eodem ordine petiolis craſſis rotundis, interiùs nonnihil planis proveniunt, grandia, oblongo-rotunda, ad petiolum contractiora & anteriora verſus rotundis oris in cuſpidem deſinentia, contextura craſſa, mollia, ſuperficie plana, lenia, virore fuſco & nitente in parte recta, in adverſa claro, ſapore ſylveſtri & ſubamaro.

Ex coſta intermedia, quæ craſſa eſt, viridi-diluta ſeu albicans, in adverſâ altè eminens, *Coſtæ* quoque viridi-dilutæ obliquo, annulari & parallelo ductu exeunt, proximè ad marginem ac inde reflexè venis in ſe invicem deferuntur, ſuntque in recta quoque parte nonnihil eminentes venulis tranſverſis, quæ haud eminent, intercurrentibus comitatæ, folia quæ ſurculorum ſuperiorum partibus adhærent, ſenſim minora ac minora, petioliſque magis brevibus appendentia.

Flores ſupra ex fructibus proveniunt conſtantes foliis quatuor, quinqueve oblongo-anguſtis, cuſpidatis; ſtelliformiter expanſis, craſſis ac venulis ad viſum minùs conſpicuis, ſuntque interiùs candidi; exteriùs ex viridi-diluto albicantes, habentque pedem rotundum longum viridi-dilutum & albicantem.

Stamina in floribus quatuor, quinque, ſex, pro numero foliorum florum, brevia, ſubflava prodeunt, ſuntque velut lingulæ, quæ ad unguiculos foliorum orificio pedis inſertæ ſunt; cum iis emicat ſtylus viridis qui ad ſummitatem craſſior, bifidus ac obſcurè ruffeſcens, eſtque pes florum, per quem is tranſmittitur, interiùs villo ſeu denſis pilis obſitus.

Gemmæ Florum oblongo-rotundæ & flavo-albicantes.

Fructus in caulibus è nodulis ex adverſo foliorum proveniunt in petiolis longioribus, ſeſquiuncialibus, rigidis, viridibus & craſſis, ſuntque forma oblongi, ad petiolum craſſiores, in ſummitate ſtrictiores, exteriùs diſtincti cancellis extuberantibus, oculatis, verſus ſummitatem minoribus, ex quorum oculis gemmæ, quæ in medio oculatæ ſunt, emicant ac extuberant, ſuntque colore primùm viridi, in gemmis oculatis albicante, dein cùm maturi, quoque albicantes, intùs carne albicante, odore cùm maturi ſunt tetro & ſtercoreo, ſapore amaro, flores qui ſupra in hiſce fructibus proveniunt, cum ſuo pede gemmis ipſis inſident, ac ex oculo, qui in medio gemmarum eſt, ſtylum ſuum accipiunt, ſuntque flores ſemper maximè conſpicui plures arctè ad ſe invicem in ſummitate fructûs cæteris ex gemmis inferioribus deciduis.

Semina, quæ in fructibus forma oblonga & plana, jacentque ordinatè propiùs ad corticem cum ſuâ longitudine ad gemmas, ex quo flores erumpunt erecta, ac carne intermedia à ſe mutuo ſejuncta, ſuntque colore, cùm ſicca ſunt, nigricante.

Bis in anno fert flores.

VIRES EJUS.

SUccus ex *ea* integra expreſſus ac cum oleo ex foliis fici inferni decoctus parti affectæ podagrâ convenit, ſi cum eo perungatur; ad quod etiam ſervit perunctio radicis contritæ & mixtæ cum aqua.

FIG. 52.

Deſcribitur hæc arbor nomine *Coniferæ*, *Macandou Javanenſium*, à *Bontio* Hiſt. Natural. & Med. lib. VI. cap. VII. Ubi flores *Periclymeni* floribus aſſimilat, & *Conſolidam Indicam* arboream, nominari vult, à viribus, quas in *Hæmoptyſi* inſignes, ſeſe in Noſocomio publico, frequentiſſimè obſervâſſe teſtatur. Additque, fructus ſub cineribus aſſatos à *Malaiis* comedi, ad dyſenterias, choleram, & pectoris vitia: folia quoque ſarcotica eſſe, & in vulneribus, & ulceribus, carnem egregiè generare, & cutem cicatrice obducere: in quam rem ſal ex foliis, arte Chymica quoque elici poteſt, quod præter conſolidantem qualitatem, etiam quævis inveterata, & cacoëthica ulcera, munda reddit.




Fig. 53.

Appél. Lat.

Mal.

Arab.

bram.

APPEL.

FIG. 53.



Ppèl ſeu *Nalla-Appellà*, lingua Bramanum *Carò-Nervóloe*, eſt arbor mediocris altitudinis, naſcens in arenoſis. Fig. 53.

Radix craſſiola plurimas fibras piloſas tranſverſim emittens, eſtque colore croceo ut & odore.

Caudex quinque aut ſex palmos convolutos craſſus evadit, ramos ſurrectos in altum diffundens, ligno albicante & corculo intus ruffo-fuſco.

Surculi teneri, virides, quadrangulati, & in unoquoque latere ſulco ſtriati.

Folia, quæ in ramis ſurculiſque petiolis brevibus, rotundis, viridi-dilutis bina & bina proveniunt, ac in ordine ſe invicem obliquè decuſſant, forma oblongo-rotunda ſunt, anteriùs brevi & anguſtâ cuſpide, ad petiolum rotunda ora, in oris ſuperioribus minutis ac raris apicibus, alia magis, alia minùs eminentia, contextura craſſiuſcula, ſolida & mollia, ſuperficie plana & glabra ac lenia, in interiori parte viridi-fuſca & nitentia, in exteriori viridi-diluta, odore hortenſi acuto haud ingrato, ſapore amaro & ſubacri.

Ex coſta media utrinque quatuor aut quinque *Coſtulæ* obliquo annulari tractu exeunt, quæ ad oras arcuatim reflexæ in ſe invicem ſubtilibus arcubus deferuntur, ſuntque coſtæ viridi-clariſſimæ, in adverſa parte eminentes, ac etiam tenuiter in recta, comitanturque venulis ſubtilibus ac cancellatim densè contextis.

Flores umbellatim proveniunt, ſuntque parvi, coloris albi, ſeu ex viridi-diluto albicantis, conſtantes quatuor foliis minutis & rotundis, quorum unum quod majuſculum eſt & latiùs ſe aperit, magis albicans, reliqua quæ magis clauſa, viroris nonnihil diluti, ac minùs albicantia, habentque in medio quatuor tenuia, albicantia ſtamina, quæ albicantibus & rotundis apicibus dotata ſunt, ac ſtylum tenuem albicantem ſeu viridi-dilutum, bifurcatum ex

rotundo, viridi globulo, qui ex calyce rotundo emergit, ac primordium fructûs est, emergentem, suntque etiam odoris fortis non injucundi.

Floribus deciduis *Baccæ* rotundæ prodeunt, quæ cùm immaturæ, sunt coloris viridi-diluti, maturæ autem coloris fusci seu nigri, intus ossiculum rotundum continentes.

Tota arbor est odoris acuti & hortensis.

Semel in anno fert *Flores* & *Fructus*.

Oleum ex radicibus per distillationem extractum tenue est & clarum coloris aureo-flavi & rutilantis, odoris vegeti & pergrati, saporis subacris & subamari, in distillando cum aqua simul ascendit eique innatat.

VIRES EJUS.


TOtius plantæ virtus inservit pro capitis totiusque corporis doloribus, si cum ejus decocto caput & corpus abluatur, atque eodem modo servit pro doloribus arthriticis, succus ex plantæ decocto extractus & saccharo conditus optimè in medicamentis usurpatur, quæ pro affectione mala ex causis frigidis oborta dantur. *Radix* contrita & epota cum aqua lienteriæ commoda, cum salsa & marina cocta sedat dolores podagræ parti affectæ applicata. *Cortex* contritus & minutus cum melle etiam valet ad lienteriam sistendam cataplasmate facto. *Folia* dolores ventris pectorisque ex flatibus obortis mitigant ac solvunt in decocto data. In febre frigida proficuum est decoctum ex *Foliis* cum pipere trito & ebibitum, vel si cum decocto *Foliorum* lotio instituatur. Oleum ex *Radice*, seu potiùs *ejus Corticibus* extractum prodest etiam pro febre frigida, uti & doloribus ventris flatusque discutit unctum in partibus affectis.

FIG. 53.

Arbor Malabarica baccifera, flore parvo, umbellato, odoro, non incommodè vocari posset meo judicio hæc arbor. Ad sambuci speciem non difficulter retulissem, ni fructus, ossiculum continens, obstaret. Si quis interim ad *Sorbum sylvestrem* referre malit, non multum eum quoque à vero aberraturum crediderim.

AME-

Indigofera tinctoria, L. sp. 1061



AMERI.

FIG. 54.


Merì ling. Bram. *Nély*, eſt arbuſcula altitudine unius hominis, ramos maximè transverſos emittens, naſcensque in arenoſis & petroſis. Fig. 54.

Radix albicans, lignoſa, denſis fibris veſtita.

Stirps Brachium craſſus evadit, eſtque ligno duro.

Folia in ſurculis tenuibus, qui è ramis ſuis paralleli exeunt ac ad exortum extuberant, & interiùs ſtriata ſunt, bina & bina in duabus ſeriebus proveniunt, iiſque breviſſimis pedunculis inſident, ac quina, ſeptena, paria cum uno in vertice, ſuntque parvula, forma oblongo-rotunda, anteriùs & ad petiolum rotunda ora, contextura tenuia & denſa, ſuperficie plana ac leniſſima; cum coſta media in adverſa parte ex qua nullas coſtas conſpicuas emittit, coloris viridi-ſub-coerulei, in recta fuſcioris, in adverſa clari, in utraque ſurdi; ſaporis ſubamari & languidi ardoris diutius maſticata.

Flores in brevibus ſurculis, qui ex origine ſurculorum foliaceorum erumpunt, plures congregatim ſeu ſpicatim proveriunt, ſuntque parvi, fabacei, conſtantes quatuor foliis, unum folium eſt unguli-forme, & clauſum, ac viride cum ſtylo quem continet ungulam efficiens: duo folia anguſta, tenuia ſunt, ac una interiori ora recta ac ſaturo-roſaceo rubore complectentia ungulam; quartum folium verſus quod ungula inflexa eſt, oblongum & latiuſculum, tenue ac viridi-dilutum, exteriora verſus reflexum verſus ſummitatem petioli, quem flores circumſident, ſitum; ſuntque flores odoris nullius.

In medio emicat *Stylus* viridis, cavus inſtar thecæ filamentum tenue, quod è ſiliquoſo germine prodit, recondens, ac ſuperiùs in parva ac tenuia ſtamuncula fiſſus, quæ minutis albicantibus apicibus dotata ſunt, ac ad concavam partem uno filamento obductus.

Calyx Florum quinque cuſpidatorum & viridium foliorum eſt.

Gemma Florum oblongo-rotundæ ſunt, ac ad unam partem, in qua folium latiuſculum ſe aperit, nonnihil planæ.

Floribus deciduis ſuccedunt parvæ ferme unciales, rectæ, rotundiolæ & anguſtæ *Siliquæ*, ſuis ſurculis brevibus, tenuibus pedunculis appendentes, coloris primùm viridis, dein ſpadiceo-fuſci, ac ad petiolum calyce quinque foliorum comprehenſi.

Semina oblongo-rotunda ſunt cum ſuâ longitudine jacentia in longitudine ſiliquarum, quæ cùm matura, coloris fuſci & nitentis ſunt.

Hæc arbuſcula bis in anno tempore pluvioſo & æſtivo dat flores.

VIRES EJUS.

AD dolores calculi nephriticos mitigandos ſervit *Radix* in decocto data. *Eadem* & viribus veneni obſiſtit decocta cum aqua *Lanie* ſcilicet teneri *Coqui Indici*, & epota. *Folia* in difficultate mingendi juvant ſi trita cum aqua ventri applicentur. *Amè*, vulgò dicta *Indigo*, quæ ex Foliis paratur, pro exſiccandis tumoribus proficua.

FIG. 54.


Anil, ex qua *Indigo*, hic exhiberi, non eſt quod quis dubitet: quonam autem referenda ſit hæc planta, minus inter ſeſe conſentiunt autores. C. *Bauhinus* in *Pinace Iſatidi* ſive *Glaſto* ſubjungit, vocatque *Glaſto affinem*. Alibi autem lib. 9. Sect. 111. capite de Phaſeolis Indicis, ſiliquam ejus deſcribit, à D^o. *Terentio* ex India miſſam, cum ſequenti inſcriptione. *Siliquula ut ſemen, huic chartulæ involuta, eſt herbæ Anil, nec eſt ſpecies Glaſti, ſed legumen. Garzias ab Horto Anil Arabibus* & *Turcis* vocari aſſerit: *Guzurattenſibus* autem, apud quos frequens, *Gali*, & nunc pleriſque *Nil*, herbamque eſſe *Ocymo* ſimilem. Clariſſimus *Piſo* in Braſilia paſſim luxutiare tradit plantæ *Caachira* ab incolis dictæ, binas ſpecies, unde *Anil*: priorique flores putpureos ex albo dilutos, tribuit, odoris fragantiſſimi. *Rochefortius*, in Americæ inſulis, trium pedum altitudinem vix æquare ait, & florem obtinere albicantem, odoris ingrati, ſecus ac illam ſpeciem, quam in Inſula *Madagaſcar* provenire ſcribit, quæ exiguos flores purpureos ex albo variegatos præbet, jucundi odoris; eademque procul dubio eſt cum *Piſonis*, vocaturque in Hiſtoria Madagaſcarenſi *Banghets*. Ipſam autem plantam ab Autoribus noſtris deſcriptam, ex *Zeilan* hoc anno tranſmiſit D. *Hermans*, additâ ſequenti inſcriptione: *Polygala Indica fruteſcens, ex cujus foliis Anil ſive Indigo conficitur, verùm Anil Ceylonenſe vilius eſt & ignobilius, eo quod ex Malabar, Coromandel, aut Negapatan adfertur. Cingalenſibus* vocatur *Awari*.



COLI-

Tephrosia purpurea

Fig. 55.



COLINIL.

FIG. 55.



COlinìl ling. Bram. *Schéra-Puncà* eſt arbuſcula humilis, altitudine duum triumve pedum. Fig. 55.

Radix fibroſa cortice albicante ſeu ruffo, qui ſaporis eſt amari & ſubacris, intus lignoſa & albicans, odoris nullius.

Stipes quatuor digitos craſſus evadit, ramoſque maximè tranſverſum diffundit, eſtque ligno duro, cortice ſub cinerea cruſta viridi, qui ſaporis eſt amari & mordacis.

Folia, quæ in ſurculis angulatis, tenuibus, viridibus, hinc inde parvis petiolis proveniunt, parva, oblongo-rotunda, anteriùs rotunda ora ac maxima latitudine verſus ſuperiora ad petiolum in anguſtum rectis oris contracta, in recta parte viroris communis, in adverſa hyali ſeu viridi-ſubcœrulei, in utraque ſurdi, ſaporis ſubacris & ſubamari, ac languidi ardoris diutiùs maſticata.

Ex coſtula, quæ in adverſa tantum parte eminet, *Venæ* obliquè & rectà tranſverſim excurrunt ductu parallelo in marginem incurrentes, tractu in recta & adverſa parte conſpicuo, cùm franguntur, ad tractum venarum angulo ad coſtam concurrente ſe dividunt. Foliis ſapor amarus & mordax.

Flores parvi ſunt & fabacei, conſtantes quatuor foliis, unum unguli-forme, clauſum ac multum inflexum cum ſtylo, quem continet, ungulam conſtituens, eſtque viridi-albicans; duo anguſtiora una interiori ora recta valde ſaturo ac roſaceo rubore ungulam ad latus complectentia; quartum, verſus quod ungula inflexa & aperta eſt, latum, primùm folia duo cum ungula circumplectens, dein flore aperto verſus exteriora reflexum, ſitum verſus ſummitatem petioli floriferi.

Stylus viridis, cavus inſtar thecæ, filamentum viride, quod è germine ſiliquoſo prodit, complectens, ac ſuperiori parte in parva ac tenuia ſtamuncula, quæ apicibus flavis nodulata ſunt, fiſſus & ad concavam partem uno filamento

libero, qui flavo quoque apice nodulatus eſt, obductus.

Floribus deciduis ſuccedunt *Siliquæ* oblongæ, anguſtæ, tenues, planæ & ad unam partem nonnihil inflexæ, duos treſve pollices longæ, glabræ, primùm virides, dein rubrofuſceſcentes.

Semina ſeu *Fabæ*, quæ intus ſunt, à ſe mutuo per ipſam carnem ſiliquæ ſejunctæ, oblongo-rotundæ, planæ, cum ſua longitudine jacentes in longitudine ſiliquarum, cum umbilico ventri ſiliquarum affixæ, primùm virides, dein nigricantes.

Præter ſiliquas *Fructus nothi* virides, tenuiter piloſi ac durioli ſurculis ſæpe inſidere conſpiciuntur, qui in vertice ſunt foramine pertuſi & intus cavi.

Bis in anno fert *Flores* & *Fructus* tempore pluvioſo & æſtivo.

VIRES EJUS.

SUccus ex *ea* extractus addito momento mellis ſervit pro oris puſtulis, ore cum eo peruncto. *Radix* trita & decocta in lacte *Coqui Indici* conducit in morbo ſacro factâ perunctione.

FIG. 55.

Magnam hanc plantam cum præcedente obtinere affinitatem, ex pleriſque ejus partibus liquet; quare & non incommodè *Polygalam Indicam minorem, ſiliquis recurvis*, vocari poſſe, exiſtimem. An autem etiam *Indigo* præbeat, quamvis veroſimile videtur, aſſerere non auſim: multo minus eandem eſſe cum *Madagaſcarenſium Baugets*, cum ejus florem odoratiſſimum teſtentur, hujus autem inodorus obſervetur. *Hernandes* & *Recchius*, Hiſtoriæ Mexiocanæ lib. 4to, binas quoque plantas deſcribunt, quæ cœruleo tingunt colore, quarum utramque vocant *Xiuhquilits Pitzahac*, ſeu *Auctr* tenuifoliam, ipſum autem pigmentum cœruleum ſive *Indigo Mohuitli* & *Tlevohuilli*. Neutra autem cum hîc deſcripta planta, quadrat. Prior verò eadem videtur cum *Caachiva ſecunda Piſonis.*



SCHA-


Schageri-Cattam. lat.
mal.
Arab.
बेडुसी bram.

SCHAGERI-COTTAM.

FIG. 56.

Microcos paniculata, L. sp. 73



Chageri-Cottàm, quæ ſecunda ſpecies, lingua Bramanum, *Saſali*, eſt arbuſcula humilis, altitudine unius hominis, naſcens in arenoſis. Fig. 56.

Radix ramos fibroſos ſpargens, cortice rubro-ſanguineo ac exteriùs nigricante cruſtula infuſcato, ligno albicante, qui ſaporis eſt adſtringentis.

Caudex craſſitie unius brachii.

Surculi vetuſtiores cinerei, teneriores ſpadiceo-clari.

Folia, quæ in ſurculis petiolis curtis, rotundis, viridibus proveniunt, ſunt multo majora illis primæ ſpeciei, oblonga, anteriùs cuſpide eminentia, ad petiolum lata cavitate, criſpa, in recta parte viridi-fuſca & parum nitentia, in adverſa clara.

Ex petiolo cum coſta media, ex qua hinc inde *Coſtulæ* obliquo arcuato ductu anteriora verſus exeunt, utrinque *Coſtula* lateralis erumpit, ſuntque coſtulæ omnes duræ, lignoſæ, rotundæ, & in adverſa parte maximè eminentes, coloris viridis ſeu ſpadiceo-clari, ex ſe diffundentes numeroſos *Nervulos* tranſverſos, qui in eadem parte adverſa eminent ac rectam tractibus ſuis ſtriant; ſuntque folia contextura groſſa, & in adverſa parte ob nervorum eminentiam valde ſcabra.

Flores proveniunt in ſummitate ſurculorum in petiolis, plures congregatim ac tres ſimul conjuncti, conſtantque quatuor & quinque foliis oblongo-rotundis, anguſtis, ſurrectis, ex viridi albicantibus & ſubflaveſcentibus, quæ cum oris interiora verſus cochleatim contracta ſunt, habentque in medio congeriem numeroſorum ſtaminum tenuium, quæ flavis, rotundis ac parvis apicibus dotata ſunt, ac ſtylum viridi-dilutum ex globulo viridi-fuſco, qui primordium fructûs eſt, emergentem, ſuntque flores inferiori parte foliis anguſtis ac flaviuſculis ſuccincti.

Fructus ſunt baccæ oblongo-rotundæ ac nonnihil pyriformes, ad petiolum ſtricti, coloris primùm viridi-fuſci ac ſurdi, dein nigri & nitentis, ſuntque ſapore

primùm acido, qui ex maturitate dulceſcit, atque indigenis eſt in eduliis: in medio durum, ex albicante ſubflavum, & grandiuſculum ac pyriforme oſſiculum eſt, quod in totum filamentis denſis, quæ in arcus varios ordinatè ad ſe invicem conducta ſunt, eſt obductum.

VIRES EJUS.

ARdori membrorum reſtinguendo ſervit *Succus ejus* expreſſus, ac cum ſaccharo ſumptus, cum ejus decocto os abluitur pro columellæ tumefactæ relaxatione. *Foliorum ſuccus* cum ſaccharo epotus maximè conducit pro hepate & fluxu ventris, ejus lotio pro oris puſtulis uti & in angina cum eodem ſucco mixto cum aceto guttur commodè abluitur. *Eorum* decoctum cum ſaccharo epotum proficuum eſt pro febre frigida.

FIG. 56.

Arboris hujus non unam dari ſpeciem, ex Autorum verbis liquidò apparet: præſertim cum folia hujus multo majora eſſe tradant foliis primæ ſpeciei: cujus figuram cum deſcriptione cur non addiderint, divinare nequeo. Certè ſi ſpinis eſſet armata planta hîc exhibita, eam ad *Berberim* ſive *Oxycantham* referre non dubitâſſem, imprimis ob fructum non multùm diſſimilem, ejuſque ſaporem grato-acidum. Jam autem & alia ob attributa, utrique plantæ communia, vocare lubuit, *Cornum Malabaricam, folio cuſpidato, oſſiculo tomento obſito.*



CARUA


Cárua. lat.
കറുവ Mal.
Arab.
तरवी bram.

CARUA.

FIG. 57.



Arua, alio nomine *Bahéna*, ling. Bramanum *Tiquì*, est arbor ad altitudinem quatuor quinqueve hominum assurgens. Fig. 57.

Radix crassa, recta se in terram demittens ac hinc inde fibris transversis se affigens, cortice in exteriori crusta rufo-cinereo, sub eâ rubescente, qui fortem camphoraceum odorem spirat maximè tritus, ligno est duro, solido & albicante, odoris nullius.

Caulis ambitu amplexum unius brachii implens, diffundensque numerosos ramos & surculos, estque cum ramis cortice vestitus viridi, qui dein cum ætate rubescit, ac cum pellicula tenui lignum ambit & crusta cinerea obductus est, ac ligno duro, estque is cortex suo tempore deglubitus & in sole exsiccatus ipsum *Cinamomum*; verùm quod hîc habetur, minùs acre est quàm illud *Celonense*, ac velut sylvestre; cortice omni ex parte deglubito arbor emoritur.

Folia cùm bina, tum solitaria proveniunt petiolis curtis ferme semipollicaribus, crassiolis, & interiùs latè striatis, suntque forma oblongo-rotunda longitudine ad latitudinem ferme dupla, in summitate cuspidata, latitudine proximum ad medium cùm minora & teneriora sunt, proximè versus petiolum, quæ maxima longitudine unius ferme spithamæ & amplius, superficie plana, in oris albicante zonula seu nervulo, quæ ex petiolo excurrit præcincta, viroris in recta parte vegeti & vividi, in adversa viridi-diluti; cùm tenera sunt, coloris hepatici, prout vetustiora, ficciora, & magis rigida, ac fractu facilia sunt, & in minorem ambitum contracta & versus interiora crispa.

E petiolo tres *Costæ* viridi-dilutæ ac flavescentes excurrunt cum costa intermedia quæ nonnihil crassior est utrinque una, in recta et adversa parte extantes; suntque hæ duæ laterales primùm brevi intervallo rectis tractibus meantes, ac ad mediam junctæ, atque inde obliquo ac annulatim inflexo ductu anteriora versus altè ascendunt, ac proximè ad cuspidem progrediuntur. Ubi in venulas subtiles, quæ versus cuspidem deferuntur, disparent; ex costis extantibus plurimæ fibræ seu venæ intimo tractu per ipsum folium transversim egrediuntur, subtili cancelliformium venularum contextu comitatæ, suntque in majoribus foliis nonnihil eminentes, maxime in recta parte: folia sunt forti ac aromatico odore, præcipuè trita, ipsum cinamomi odorem spirantia,& sapore quoque cinamomi, licet minus vegeto; folia tenerrima rubescentia.

Flores petiolis viridi dilutis, qui supra ex origine foliorum prodeunt plures congregatim seu umbellatim proveniunt, suntque stelliformes, ac parvi, constantes sex foliis viridi diluto-albicantibus, parùm oblongis ac rotundis oris, anteriora versus contractis, ac brevi collo seu pediculo odoris amœni, in medio corculum est constans ex duabus staminum seriebus, in exteriori serie stamina sex viridi-

 clara,

clara, supra alia emicantia ac viridi-diluta; in superiori parte plana ac latiora; in anteriori serie sex stamina tenuia ac parva sunt cum nodulis seu apicibus flavis & crassiusculis in vertice, atque in ea serie ex iis insuper tria stamina cum illis, quæ in exteriori ordine similia paribus intervallis emicant, complectentia stylum tenuem ac viridem, in vertice nigricantem, qui ex capitulo viridi-oblongo, quod primordium fructus est ac in pediculis superiori parte continetur, egreditur; floribus ad pediculum adest calyx arctus & exiguus.

Gemmæ Florum rotundiolæ.

Fructus sunt baccæ oblongo-rotundæ terite forma instar glandis quercinæ arctè inclusi in calyce profundiolo, crassiolo, viridi, qui sex cuspidum est, suntque superficie glabri primùm viridi-fusci & nitentes ac punctulis albicantibus conspersi, & tum sub cortice pulpa viridi-clara, quæ flaviusculum, unctuosum humorem exsudat, & saporis subacris adstringentis & unctuosi, continentque sub pulpa corticis unum grandem nucleum oblongo-rotundum & glabrum, qui cortice tenui cartilaginoso obtectus est & pulpa densa ex albo rubescente ac incarnati coloris & humore unctuoso, qui in filamenta protrahitur, suffusa, ac saporis magis acris & minùs astringentis est, constat, dein cùm maturi sunt, cœruleo-fusci & nitentes, qui color est in tenui exteriori membrana, intus etiam pulpa viridi saporis aromatici ac subamari & acris ac pulpa nuclei ex rubro cœrulescente constantes.

Flores hæc arbor semel fert in anno in *Januario*.

Ex cortice radicis *Oleum* cum sale volatili, Camphora dicto, per distillationem extrahitur estque aqua cum qua simul ascendit levius, consistentia clarum & transparens, ac coloris subflavescentis, odoris fortis ac vegeti, saporis peracris & profundè penetrantis constans ex particulis tenuibus & facilè se dissipantibus in libero & aperto aëre; Camphora candidissima est, & in odore Camphora communi excellentior: ejus particulæ in oleo primùm distillato natant, ac ejus partibus insensiliter permixtæ sunt, olei transparentiam ac claritatem minime obfuscantes, dum autem oleum refrigeratur, particulæ Camphoræ natantes ac sejunctæ, unæ aliis formâ satis regulari se affigunt, constituentes primùm hastas oblongas, quibus partes aliæ de novo accedentes velut transversi acus ad rectos angulos se adjungunt, atque ita graviores factæ decidunt atque ad fundum olei subsidunt: verùm hîc notatu dignissimum est, quod dum se affigunt in duos vorticosos motus, qui per horizontalia plana feruntur, cieri ac primùm quidem tardiùs, dein sensim velociùs, atque oleum ad suam superficiem ubi priùs refrigeratur, & ad fundum plurimis particulis Camphoræ, quæ ejus transparentiam adimunt, imbutum, cùm in medio adhuc sit clarum seu magis transparens, quin et particulæ Camphoræ, quæ se sibi mutuò affigunt, partes oleosas primùm intra se includunt, eas visui subducentes, quæ dein particulis salis ad angustius spatium versus inferiora detrusis se ab iis resolvunt ac separant, superiora præ levitate petentes; est autem Camphora hæc maximè dissipabilis & flammam celerrimè concipiens ac nullam fæcem post flagrationem relinquens; de Oleo quod cum hoc Sale attollitur hæc notanda occurrunt, primùm quod in odore ac sapore Camphoram maximè æmuletur, atque adeò facilè dissipabilis sit, ut licèt in pannos incidat colore aliquo tinctos, nulla relicta macula evanescat ac diffletur; promptissimum quoque est ut ipsa Camphora in flam-

flamma concipienda in eo ſpiritum vini ab aqueis particulis depuratum referens, totumque brevi tempore igne depaſcitur, datque flammam albicantem & cœruleam, ſuper igne poſitum & calefactum etiam cito conſumitur, abitque in fumum albicantem, qui igne admoto flammare promptiſſimè concipit; de eo quoque expertum eſt, ſi linteum cum eo madefactum incendatur, eo remanente illæſo igne plurimas ejus partes depaſci, uti patet, ſi ignis jam conceptus ex ſufflatione illico ſuffocetur, quin & illud linteum, quod ex igne illæſum redit, ac primùm acrem camphoraceum odorem exhalat, eo debilitato & evaneſcente gratum aliquem Cinnamomi odorem ſpirare: præterea hoc oleum in ſulphur vel ſal nitrum, vel etiam in illos ſales ſimul permixtos conſperſum, iis prorſus illibatis ac illæſis, à flamma in totum conſumi ac depaſci; quod ſi pulvis tormentarius eo imbutus ſit, flammam concipit eo accenſo, ſed non niſi tardiùs, & poſtquam multæ particulæ olei depaſtæ ſunt; ſingulare quoque experimentum eſt, quod fimus olei, qui ex eo calefacto ſuper ignem exhalat, per pannum triplicatum ſeu quadruplicatum exceptos ad ejus ſuperficiem in ſalem album & candidum, quod ipſamet Camphora eſt, ſe affigit, quin & hoc oleum, ut purum & clarum ſit, cum tempore particulas quaſdam camphoraceas demittit. Relatum quoque nobis eſt in locis frigidis, quò erat advectum, de ſuo fluore remittere. Oleum, quod ex hoc Malab. Cinnamomo extrahitur, tranſparens, clarum, flavum, rutilans ac fragrantis quoque odoris, & aquæ innatans, cùm ex cinnamomo Celonenſi, præter oleum innatans, etiam extrahatur quod aquæ fundum petit. Oleum ex foliis primum turbidum eſt, cum tempore flaveſcens ac tranſparens coloris virideſcentis, eſtque ſapore quoque dulci & acri odorem cinnamomi tenuem ſpirans, in aqua ſubſidit ad fundum.

VIRES EJUS.

R*adicis cortex* in decocto datus vel in pulvere cum melle ſeu ſaccharo ſervit pro tuſſi & phlegmate expurgando. Idem contritus & permixtus cum aquâ confert in podagra facta perunctione. *Cortex Stipitum* in decocto datus flatus quoque diſcutit. *Idem* in pulvere datus cum aqua calida dolores ventris ſedat fluxumque ex frigore obortum ſiſtit. *Foliorum* ſuccus cum pipere & ſaccharo datus pro doloribus ventris & renum flatulenta materia ſerviunt; folia in pulvere data cum ſaccharo conferunt in vertigine capitis, uti & flores in pulvere cum ſaccharo & aqua frigida dati. Oleum quod ex *Cortice Radicis* cum ſale volatili, Camphora dicto, per diſtillationem ſimul extrahitur: inſignium & multarum eſt virium; optimè confert in omnibus affectibus paralyticis exteriùs in tempore applicatum: in podagra ſummum ac præſentaneum remedium; vehementes partium affectarum dolores illico ſedans iis inunctum, ad quod etiam confert intus ſumptum; in aſthmate aliiſque affectibus pulmonaribus ſanandis intus ſumptum etiam maximè confert, uti & ad malignitatam febrium corrigendam, eſtque ſudorem pellens in gangræna & ſphacelo aliiſque ulceribus malignis optimè quoque prodeſt, juvatque etiam pro impetiginibus, doloribuſque artuum, ventris, oculorum; nec non tumoribus membrorum ex frigidis & pituitoſis humoribus obortis; præterea in pedum contuſione ut & vulneribus ſenſum partium ſtupefactum reparans; prodeſtque in rheumate

ſeu fluxu capitis; ejus odor qui illico ex titillatione ac ſternutationem, quam rheuma, ciet, ſiſtit; in flatibus diſcutiendis quoque efficax eſt intus ſumptum: appetitum quoque excitat ac calculoſis prodeſt, ſuntque hæ virtutes intrà breve tempus, quo illud oleum à nobis diſtillatum, ad uſum medicum adhibitum, propriâ experientiâ compertæ, & ſine dubio plures indies ſe prodent, eſtque hoc oleum in Noſocomio noſtro medicamentum maximè catholicum. *Camphora* ſervit in affectibus uterinis ad provocanda menſtrua, ſudores quoque ciet, uſurpaturque etiam loco Camphoræ communis. *Oleum Cinnamomi* puta *Corticis Arboris* confert in affectibus ventriculi, in torminibus ventris à frigore ortis. *Aqua Cinnamomi* cardiaca. *Oleum ex Foliis* prodeſt in Colica exteriùs applicatum, ſummum remedium paralyticis, eorum aqua conducit in affectionibus cardiacis frigidis, daturque in potionibus ſudoriferis. *Aqua Florum Cinnamomi* diſtillata cardiaca. *Oleum ex Fructibus* decoctum uſurpatur in doloribus artuum.

FIG. 57.

Arbor hîc deſcripta *Canella* eſt *Malabarica*: Luſitanis, *Canella del Matto*: quæ *Ceylonenſi* omnibus ſuis partibus longè eſt ignobilior & idcirco longè minori in pretio habita: Singula enim quæ de Malabarica prædicantur ab Autoribus, ſublimiori gradu in *Ceylonenſi* reperiuntur, quam quidem pluribus hîc ut deſcriberem, & geſtiret animus, & materiæ exigeret affinitas, quin & nobilitas. Verùm cùm aliorum labores meos facere nolim, hanc lampada D^o. *Hermans* lubens trado, qui ſuo tempore exactiſſimam *Cinnamomi*, omniumque plantarum *Ceylonenſium* hiſtoriam, poſteritati non invidebit. Adjungere tamen lubet, coronidis loco, ipſius verba, quibus *Cinnamoni* ramos complures, unà cum arbuſculis vegetis, ſeminibus, radicibus, &c. ad me tranſmiſit. *Canella* (inquit) *ex qua Cinnamomum, Kurudu ſcribitur Cingalenſibus, pronuntiatur autem Kurundu: mihi eſt Laurus Zeylanica, baccis calyculatis, ex qua Cinnamomum. Mira natura diverſitas in hac arbore conſpicitur: deſtillatur ex radicis cortice, Camphora, ejuſdemque oleum; ex trunci cortice, oleum Cinnamomi: ex foliis, oleum Caryophyllorum: ex fructibus, oleum juniperino ſimile, cum pauxillo Cinnamomi ac Caryophyllorum, mixtum: ex his & excoquitur oleum pingue, craſſum, inſtar ceræ, ad emplaſtra, unguenta, ac candelas conficiendas, commodiſſimum; medicamentum itidem internè & externè uſurpatum, ſummè anodynum.*

